This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 08183670 6

Digitized by Google

Digitized by Google

(Dionysius)
*OGM
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# CORPUS
# SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

J.-B. CHABOT, I. GUIDI

H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

# SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCIII

# DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

## EXPOSITIO LITURGIAE

INTERPRETATUS EST H. LABOURT

PARISIIS

E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA

15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIII

Digitized by Google

Digitized by Google

# CORPUS
# SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

J.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRÁ DE VAUX

---

# SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCIII

---

## DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

EXPOSITIO LITURGIAE

INTERPRETATUS EST H. LABOURT

PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIII

Digitized by Google

Digitized by Google

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
J.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

# SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCIII

# DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

## EXPOSITIO LITURGIAE

INTERPRETATUS EST H. LABOURT

PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIII

Digitized by Google

Digitized by Google

# SCRIPTORES SYRI

## SERIES SECUNDA — TOMUS XCIII

## DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

### EXPOSITIO LITURGIAE

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

Digitized by Google

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Digitized by Google

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
J.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

# SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCIII

# DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ

## EXPOSITIO LITURGIAE

INTERPRETATUS EST H. LABOURT

PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIII

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
398236
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1907

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Digitized by Google

# DE
# DIONYSII BAR ṢALĪBĪ
## VITA ET SCRIPTIS

Iacobus Bar Ṣalibī inter duodecimi seculi Iacobitas scriptores maxime claruit. Melitena urbe (hodie Malatiah pago) oriundus, anno 1154, ab Athanasio VIII Abulfaradj patriarcha ad sedem episcopalem Marʿaš (quondam Germaniciae) in Cilicia evectus est, nomenque, uti episcopi nuper consecrati solent, in Dionysium mutavit. Anno sequenti episcopatus civitatis Mabbūg (Hierapoleos ad Euphratem) ei additus est. Michael autem Magnus qui post Athanasium patriarchatum Iacobitarum obtinuit, Dionysium Amidam, in urbem metropolim Mesopotamiae, transtulit, anno 1166. Postquam hanc eximiam sedem occupasset, diem suum obiit, mense novembri anno 1171. Amidae sepultus est in ecclesia Deiparae.

Nemo est inter Syros qui hisce temporibus, tot tantaque opera conscripserit. Elenchum eius librorum Assemanus tradidit quem e codice vaticano XXXVII excerpserat et vertit his verbis[1] :

Libri Mar Dionysii Bar-Ṣalibi :

*Liber magnus expositionis litteralis et spiritualis in Pentateuchum et Prophetas universim.*

*Liber magnus expositionis in Novum Testamentum, et in Apocalypsim Ioannis Apostoli.*

*Libellus in Evagrii Centurias, expositio cum textu.*

*Commentarius in scripta Doctorum.*

*Libellus epistularum.*

[1] *Bibl. orient.*, t. II, p. 210-211. Cf. *Catalogus mss. orientalium Bibliothecae Mediceae*, p. 79 et 80, ubi hunc elenchum fuse recenset Al. Assemani.



Digitized by Google

*Compendium historiarum Patrum, et Sanctorum et Martyrum.*

*Compendium Canonum Apostolicorum.*

*Tractatus de Theologia, — de Incarnatione, — de Arbore vitae, — de Angelis, — de Daemonibus, — de Anima rationali, — et de Sacerdotio.*

*Tractatus de coelo, de sole, de luna, de stellis, deque ceteris secundum ordinem sex dierum creationis : de Paradiso, de resurrectione corporis humani, de cruce, de fide, aliisque sacramentalibus.*

*De sacramento baptismi.*

*De liturgia : de sacerdotalibus indumentis, de processione per ecclesiam.*

*Tractatus polemici adversus Arabes; — adversus Iudaeos; — adversus Nestorianos; — adversus Chalcedonenses; — adversus Armenos, eorumque consuetudines, ubi de consuetudinum eorum rituumque origine.*

*Prolixa Bar Šûšan adversus eosdem Armenos epistula in libris Demonstrationum exstat, sed et tractatus Bar Andreae.*

*Duae denique Anaphorae.*

Iuxta Assemanum his addenda sunt :

*Tractatus de Poenitentia adversus Ioannem Mardensem. — Oratio panegyrica de consecratione Michaelis Magni;*

*Tractatus de structura corporis humani;*

*Homiliae quaedam, et carmina de Edessa a Zengui capta* (anno 1144), *de Marʿaš ab Armenis expugnata* (anno 1156), item, *Oratio habita in causa Maphriani* seu primatis Tagritensis, qui accusatus esset quod musulmanam mulierem viro christiano in matrimonium dedisset [1].

W. Wright Dionysio tribuit revisionem Ordinis de Baptismo, juxta ritum Iacobitarum, et librum officia liturgica pro singulis hebdomadae diebus continentem [2].

[1] Cf. *Bibl. or.*, t. II, p. 452.

[2] Wright, *Syriac Literature*, p. 250. Apud eum invenias etiam elenchum operum Dionysii quae in bibliothecis nostris repperiuntur.

Digitized by Google

Pleraque opera Dionysii ad nos pervenerunt et in subsequentibus voluminibus edentur. Plurimi ea faciunt Syri, qui auctorem vocant « doctorem eloquentissimum et sidus sui seculi »; de eis hoc iudicium tulit Assemani[1] : « Scripsit Bar Salibaeus eleganti sermone syriaco, multaque erudita volumina in quibus nihil fere optimo theologo indignum occurit, si Monophysitarum haeresim excipias, quam ubique propugnat. »

De vita et scriptis Dionysii Bar Ṣalībī videas : Bar Hebraei, *Chronicon ecclesiasticum,* t. I, p. 513-515 et 559; Assemani, *Bibl. Orient.*, t. II, 156-211; W. Wright, *A short history of Syriac Literature,* p. 246-250; R. Duval, *Littérature syriaque,* p. 399.

## DE EXPOSITIONE LITURGIAE.

Expositionem liturgiae inter annos 1166 et 1171 scripsit Bar Ṣalībī. Ex inscriptione enim et fine operis manifestum est eum tum temporis sedem Amidae occupasse. Eusebius Renaudotius[2] Dionysii commentario primus usus est ut ritus Iacobitarum melius pleniusque indagaret, eumque frequenter recitavit. Post aliquot annos Ios. Sim. Assemani abunde eumdem descripsit ac recensuit[3]. Merito quidem : nam Dionysii Bar Ṣalībī non secus atque Iacobi ipsius Edesseni sententia pro regula vulgo accipiebatur, praeterquam apud haereticos Iacobitas etiam apud omnes Syros occidentales. Maronitarum enim Expositio Liturgiae quam latine vertit Aloysius Assemani, tomo quinto *Codicis liturgici*[4], nihil aliud est quam ipsa Expositio Dionysii innumeris interpolationibus et, quod putant, emendationibus vitiata, etsi inscribitur : *S. Ioannis Maronis Theophori, civitatis Dei Antiochiae patriarchae, Expositio ministerii oblationis.*

[1] *Bibl. or.*, t. II, p. 157.
[2] *Liturgiarum orientalium collectio*, t. II.
[3] *Biblioth. orient.*, t. II, p. 177-207.
[4] P. 227-397.



Digitized by Google

Textus tamen integer et completus adhuc desiderabatur, quem D. Ioannes Parisot, monachus Ordinis sancti Benedicti, mox in lucem dare statuerat. Sed vix opus aggressus est cum rerum statu infeliciter a Gallia exire coactus est. Ne tamen diutius eruditorum exspectatio deciperetur, Expositionem Dionysianam edendam curavimus.

E quattuor codicibus textum eruimus[1] :

A. Cod. parisiensi 208 (fol. 1-68) anno 1389 a presbytero quodam Mardinensi exarato.

B. Cod. parisiensi 209 (p. 392-502), anno 1639 exarato.

C. Cod. parisiensi 206 (fol. 227-271), a quodam Ioanne filio Iobi, annis 1553-1555 descripto[2].

D. Cod. vaticano CII, quo usus est Ios. Sim. Assemani, anno 1646 exarato a quodam Iosepho, Hesronita, Chateri filio[3].

A et B inter se conveniunt. Ab eodem apographo descripti sunt; verumtamen B recentior non ab A procedit cum quaedam habeat quae A omisit[4].

C et D inter se congruunt. D peior est et multa omittit[5]. C maiori cura et pulchriori scriptura ac ceteri codices exaratus est. Sed a viro maronita descriptus est qui multa quae doctrinae Melchitarum aut ecclesiae suae consuetudinibus adversarentur omisit vel mutavit[6].

[1] *Cod. Vatic.* CCCLXI, est apographon quod I. S. Assemani in proprium usum exscripserat e codice CII; cf. Mai, *Script. vet. nova Coll.*, t. V, p. 39.

[2] Descriptionem codicum A, B, C, videas apud Zotenberg, *Catalogue des mss. syriaques de la Bibliothèque nationale*, p. 160, 161, 158.

[3] Cf. Assemani, *Bibliothecae apostolicae Vaticanae codd. mss. Catalogus*, t. II, p. 552-556; et *Bibl. orient.*, t. I, p. 578. (Cod. Echellensis XXXVI.)

[4] Cf. infra, pag. 13, n. 4; p. 22, n. 6; p. 36, n. 3; p. 43, n. 5; p. 82, n. 2; etc.

[5] Vide infra, exempli gratia : pag. 50, n. 1; p. 61, n. 1; p. 64, n. 1; p. 66, n. 1; p. 71, n. 2.

[6] Exempli gratia, pro : «Chalcedonenses», ubique habet : «Graecos»; pro : «Severus patriarcha», habet : «Severus» (p. 17, n. 3). Sententias aliquas quae monophy-

Digitized by Google

Operis exstat arabica versio seu potius recensio brevior ad criticum usum minime apta[1].

Haec nobis lex servata est : quotiens tribus codicibus lectio quaedam commendabatur, eam recepimus, secus ms. C, quantum res sinebat, transcripsimus.

Lectiones variantes quas referre conducebat sedulo collegimus; reliquas vero, ut particulas ܐܘܦ, ܕܝܢ, ܓܝܪ, ܘ aut orthographiae, ut aiunt, varietates, eis exceptis quae in nominibus propriis occurrerent, consilio saepe praetermisimus.

Liturgiae sancto Iacobo adscriptae quam commentatus est Dionysius versionem dederunt Renaudotius (*Liturg. Or. Collectio,* t. II) et, adiecto textu, Al. Assemani (*Codex liturgicus,* t. V). Critica tamen editio nondum prodiit, et locum obtinebit post aliquot annos in nostra Liturgiarum syriacarum collectione.

Quo autem facilius rerum liturgicarum studiosis commentarii Dionysiani aditus pateret, huic versionem Renaudotii praemittendam esse opportunum duximus; nonnullis etiam precibus aut formulis quarum eximius ille scriptor prima tantum verba reci-

sitismum olerent omisit. Exempli gratia : pag. 34, n. 6; p. 35, n. 1 et 2; p. 37, n. 1, 2, 3; p. 38, n. 3; p. 54, n. 1 et 2; p. 70, n. 1 et 2; p. 71. n. 4 et 5; p. 72, n. 1 et 2; p. 76, n. 6; p. 77, n. 1. — Duae sententiae maxime notandae sunt, nempe p. 34, n. 6, ubi cum Nestorio Maximum Confessorem dictum, monotheletarum acerrimum impugnatorem, damnat, et p. 37, n. 3, ubi monotheletismum aperte profitetur. — Item, p. 76, n. 4 et 6, duos hymnos recitat qui Maronitarum proprii sunt : [illegible] et : [illegible]. Olei quod monophysitae cum vino miscebant mentionem omittit (p. 27, n. 2). De fractione loquitur non post «Catholicam» ut ceteri, sed ante Communionem (p. 88, n. 4). — Notanda sunt etiam additamenta : p. 88, l. 20 et 21; p. 90, n. 6; p. 93, n. 5; p. 94, n. 4; praecipue vero p. 80, n. 7, ubi ait non XVIII tantum, verum XXXVI cruces in liturgia formandas esse quae repraesentent numerum flagellorum quibus iubente Pilato verberatus est Iesus.

[1] Huius compendiosae versionis tres codices descripserunt Assemani apud Mai, *Script. vet. nova coll.*, t. IV, p. 152 (Cod. arab. Vat. LXXIV); Zotenberg, *Cat. des ms. syr. de la Bibl. nat.,* P. 148 (Cod. syr. 198); Ed. Sachau, *Verzeichniss der Syrischen Handschriften der Königl. Bibliothek zu Berlin*, t. II, p. 776-778 (Cod. 253). Duos ultimos sine fructu inspeximus.

tavit complementa addidimus, uncis inclusa, ex Assemaniana versione.

Totum autem ordinem liturgiae paucis verbis sic enarrat et exponit Renaudotius[1] :

« Observandum est Liturgiam Syriacam, ut reliquas omnes Orientales et Occidentales duabus partibus constare; quarum prima præparatoria est, altera quæ Canoni nostro respondet, proprie *Anaphora* appellatur, ut apud Latinos veteres, *Oblatio*, *Illatio*, *Actio*, aut aliter vocata quondam fuit. Præparato altari, Sacerdos diversas preces recitat, sacra vestimenta induit, et ita ad sanctuarium progreditur. Panis Eucharisticus cum calice, a Prothesi, ubi statim collocantur, ad altare deferuntur, eadem prope ratione, qua fit apud Græcos, *magnus*, ut vocant, *Introitus* : de quo ritu dicitur in Commentario ad Liturgiam Jacobi Syriacam, et dictum est ad Copticam Basilii. Miscetur aqua vinum, ex vetustissima traditione : dona ubi ad altare illata sunt, duplici velo, majori et minori teguntur, et incensantur. Dicuntur interea variæ orationes, Trisagium, Gloria in excelsis: Psalmi aliquot: Hymni diversi secundum dies, carmine Ephremitico vel Jacobitico : Prooemia. Deinde leguntur sectiones ex Epistolis Pauli, et Catholicis, aliquando ex Actis Apostolorum et ex Veteri Testamento, juxta indices qui habentur in singulari codice, neque enim ut apud Latinos, Lectiones libris Missalibus inseruntur, sed petuntur ex Lectionariis, quæ apud Syros, et reliquos Orientales habentur, ut apud Græcos Ἀποστολοευαγγέλια. Preces, benedictionesque Sacerdotis, hortationes Diaconi ad populum, singulis lectionibus adjunguntur : et eodem tenore, antea vel paulo post dicuntur orationes Εἰρηνικαί, sive pro pace, et aliis beneficiis quæ a Deo postulantur, præeunte Diacono : Sacerdote secretam orationem interea pronuntiante, et populo acclamante *Kyrie eleison*. Scripturarum lectio fit primum Syriace : et postea Arabice, quæ lingua est maximæ partis Orientis vernacula. His peractis canitur Syriace a populo Nicænum Symbolum : Sacerdos manus lavat : commendat se circumstantium precibus et incipitur Anaphora, sive sacra Actio. Illius initium est oratio ante osculum pacis, et antequam dicatur superest in codicibus mss. vetus formula ejiciendi audientes et pœnitentes, testis

[1] *Liturg. orient. Collectio*, t. II, p. XVII et seq.

Digitized by Google

antiquæ disciplinæ. Tum benedictio antiquissima : *Caritas Dei Patris, etc.*, simulque signum crucis super populum.

Post osculum pacis, *Sursum corda* et reliqua, cujus formulæ ubique receptæ in omnibus cujuscumque linguæ Liturgiis extat memoria. Præfatio quæ est de gratiarum actione, laudibusque ad Deum referendis propter omnia in genus humanum beneficia, creationis, legis promulgatæ, missionis Prophetarum, tandem liberationis humani generis per Incarnationem, salutaremque dispensationem Christi Domini. Sequitur in Præfationis fine, Hymnus Cherubicus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, qui canitur a populo.

Sacerdos longam orationem pronunciat in Dei laudem, et pro Liturgiarum diversitate aliquando brevior, aliquando prolixior est illa oratio. Definit autem in institutionis Sacramenti commemoratione, et pronuntiatione verborum Christi, super panem, et super calicem : ad quæ populus acclamat : *Mortem tuam Domine annunciamus, etc.*, sequuntur orationes sacerdotis in eamdem sententiam : et paulo post, *Invocatio Spiritus Sancti*, quam præcedit Diaconi exhortatio ad populum, ut oret attentius, exspectando ejus illapsum in dona proposita. Ipsa Invocationis forma eadem omnino est, quæ in Græcis codicibus. Sequuntur Diptycha : tum commemoratio mortuorum : Sanctorum memoria : Oratio Dominica, quam Sacerdos incipit; populus alta voce continuat. Elevatio Eucharistiæ, et *Sancta sanctis*. Tum hostiæ fractio, et particulæ in calicem intinctio; tum ex eadem, reliquarum quæ in sacro disco sunt, particularum consignatio : Sacerdotis communio : ejusdem distributio Sacerdotibus, Diaconis et reliquis ex Clero. Deinde communio populo distribuitur, per intinctam particulam, quæ cochleari præbetur : Gratiarum actio et Sacerdotis ultima benedictio.»

Digitized by Google

# ORDO COMMUNIS LITURGIAE

## SECUNDUM RITUM SYRORUM IACOBITARUM

INTERPRETE

EUSEBIO RENAUDOTIO.

(*E Liturgiarum Orientalium Collectione*, t. II, p. 1-11.)

*Primo sacerdos quotidiana veste deposita, postquam abluerit manus, dicit :* Aufer a me Domine vestimenta sordida quibus induit me Satanas, et indue me vestibus electis, dignis ministerio tuo, gloria tua, et honore tuo præclaro : Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

*Et postquam aliquamdiu oraverit, inclinans se coram altari dicit :* Præsta Domine Deus, ut aspersis cordibus nostris et mundatis ab omni conscientia mala, impurisque cogitationibus, mereamur ingredi in sanctum sanctorum tuum excelsum et sublime : præclare et pure stemus coram altari tuo sancto, et offeramus tibi sacerdotio fungentes, sacrificia pura et excellentia : in vera fide, Pater Fili, etc.

*Et dicit :* Deus obsecro te ut dignum me efficias accedendi ad altare tuum sanctum absque vitio, et absque macula. Ego enim sum servus peccator qui peccavi et commisi peccata et crimina coram te, neque dignus sum accedendi ad altare tuum purum, aut ad mysteria tua sancta. Verum rogo te, et deprecor bonitatem et clementiam tuam, miserator, misericors, et hominum amator : aspice me oculis misericordiæ et benignitatis, efficeque ut acceptus coram te, consistam hac hora, et omni tempore. Emitte super me gratiam Spiritus tui sancti : munda me a peccatis meis : hanc oblationem sanctifica, et per eam præsta remissionem peccatorum et criminum abstersionem, illis pro quibus offertur, mihi et patri meo, et quibuscumque communio mecum intercedit, tam vivis quam defunctis fidelibus. Præsta illis memoriam bonam in regno tuo cœlesti, cum justis et sanctis tuis, qui per bona opera sua tibi placuerunt, et per intercessionem Dominæ matris luminis, sancti Joannis Baptistæ et omnium sanctorum, Amen.

*Tum dicit :* Miserere mei Deus.

Digitized by Google

*Et conversus ad populum veniam petit et dicit :* Orate pro me propter Dominum.

*Ingressus autem ad altare dicit :* Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

*Et prostratus coram altari dicit :* In domum tuam ingressus sum, procidique coram throno tuo, Rex cœlestis : remitte mihi omnia quæ in te peccavi.

*Et inclinat se : et osculando altare, benedictionem captat a dextra, a sinistra et in medio dicens :* Alliga Domine festivitates catenis, usque ad cornua altaris.

*Imponens incensum dicit :* Ad gloriam et honorem sanctæ et laudandæ Trinitatis, hæc thura manibus meis peccatricibus imponuntur. Oremus omnes, misericordiamque et gratiam a Domino postulemus.

*Diaconus caput discooperit, et accendit cereum in latere dextro altaris, dicens :* Alleluia. In lumine tuo videmus lumen.

*Accendit alterum in latere sinistro, dicens :* Alme et sancte, qui habitas in habitaculis lucis, remove a nobis passiones malas, et cogitationes odibiles, et præsta ut cum puritate cordis operemur opera justitiæ. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto. Alleluia, etc.

*Sacerdos tollit velum quo mysteria operiuntur, ponitque mantile abstersorium, et cochlear in latere dextro, et velum majus in latere sinistro, coram disco. Tum sumit Diaconus panem Eucharisticum, et offert Sacerdoti : qui panem cruce signat; et dicit hanc Orationem :* Deus magne et mirabilis usque in æternum, qui suscepisti sacrificia, vota, primitias et decimas servorum tuorum fidelium : suscipe Domine oblationes servorum tuorum quas separaverunt et intulerunt, propter amorem tuum, et nomen tuum sanctum : conserva et benedic eos, omnibus benedictionibus spiritualibus; lætifica eos bonis indeficientibus, et spe promissorum eorum, quæ sanctis tuis facta sunt. Effunde benedictiones tuas in omnia quæ ad eos pertinent : concede sanitatem et continentiam corporibus eorum, puritatem et sanctitatem animabus eorum, et da requiem animabus defunctorum ex ipsis, in habitaculis tuis beatis, in æternum : atque pro rebus istis temporalibus, da illis vitam et regnum. Amen.

*Panem quantum opus est multiplicat, incensat, reponitque in altari, dicens :* Tanquam agnus ad occisionem ductus est, et velut ovis coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum affligenti se.

Digitized by Google

*Et postquam panem Eucharisticum intulerit ad altare, accipiens cum utraque manu dicit :* Deus qui sacrificium Abel in campo suscepisti, Noe in arca, Abrahæ in montis cacumine, Davidis in area Doran Jebusæi, Eliæ in monte Carmelo, et minuta viduæ in Gazophylacio : tu Domine suscipe has oblationes quæ tibi offeruntur manibus meis, infirmi et peccatoris : et per illas præsta memoriam bonam vivis et mortuis, pro quibus offeruntur, benedicque habitationem eorum qui illas offerunt, Amen.

*Deponit oblatam in disco et dicit :* Paratum sedi tuæ fecisti sanctuarium tuum Domine : confirma illud Domine manibus tuis. Dominus regnabit in sæcula sæculorum.

*Incensat velum minus, tegit illo discum, et dicit :* Dominus regnavit, decorem induit : Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

*Accipit calicem et dicit :* Calicem salutis accipiam, nomen Domini invocabo, et vota mea Domino reddam.

*Fundit vinum in calicem et dicit :* Etiam hoc vinum quod est typus sanguinis, qui fluxit nobis ex latere filii tui dilecti Jesu Christi Domini nostri, fundo in calicem hunc, calicem salutis, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, Amen.

*Admiscet vino paululum aquæ et dicit :* Hanc etiam aquam, quæ typus est aquæ illius, quæ fluxit nobis e latere filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi, misceo in calice hoc, calice salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.

*Incensat velum minus, tegit illo calicem, tum dicit :* Induit Dominus fortitudinem et roboratus est : et firmavit orbem terræ, ut non commoveatur : Pater, Filius et Spiritus sanctus, Amen.

*Incensat velum majus, et tegit eo discum et calicem, tum dicit :* Operti sunt cœli fulgore gloriosi illius, et laude ejus repleta est omnis terra.

*Conversus ad populum veniam petit, dicens :* Orate pro me.

*Vertitur; incensum adolet circa altare et circumstantes. Dum adolet incensum :* Venite laudemus Dominum, canamus Deo salvatori nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, et in canticis glorificemus eum. Quoniam Deus est magnus Dominus, et rex magnus super omnes Deos : in manibus ejus sunt fundamenta terræ, et altitudo montium ipsius est; mare, ipse fecit illud et aridam firmaverunt manus ejus. Venite procidamus et adoremus eum, et benedicamus qui fecit nos, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

*Postea omnes dicunt Sacerdote præeunte :* Incensa pura, quæ tibi

Digitized by Google

obtulerunt filii Ecclesiæ fidelis, per manus Sacerdotum, ad placandam divinitatem tuam, suscipe per gratiam benignitatis tuæ. Miserere pœnitentium, et sicut suscepta fuit oblatio Abrahæ in montis vertice, et suavis tibi fuit odor thuris Aaron Sacerdotis, ita gratus tibi fiat odor incensorum nostrorum, et illo placatus esto, Deus multæ misericordiæ.

*Sacerdos dicit, Populo subsequente :* Kyrie eleison, Kyrie eleison, Sanctus es Deus, Sanctus es fortis, Sanctus es o immortalis, miserere nobis. Pater noster qui es in cœlis, etc.

*Sacerdos :* Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto : super nos autem infirmos et peccatores, misericordia et gratia effundantur in utroque sæculo nunc, etc.

*Diaconus :* Pro tranquillitate et pace totius mundi in Christum credentium, a finibus usque ad fines orbis : pro infirmis et afflictis, et animabus in angustia dejectis : pro patribus, fratribus et Doctoribus nostris : pro peccatis, insipientiis et defectibus omnium nostrum, et pro fidelibus defunctis qui a nobis abierunt, cum odoribus impositis, oramus Domine.

*Sacerdos :* Dignare Domine ut semper ingrediamur domum tuam, et pulsemus confidenter ostium tuum, adoremusque sincere in templo tuo. Exaudi quoque nos benigne et concede nobis petitiones nostras, præclare et misericorditer ex thesauro tuo, et referemus tibi gloriam cum gaudio, Pater, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

*Et dicunt omnes simul :* Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et spes bona hominibus, etc. Gloria Patri et Filio.

Domine labia mea aperi et os meum annuntiet laudem tuam. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum ad verbum malum, nec operer opera iniquitatis. Memento Domine misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt, gratiarumque tuarum : et quæ insipienter egi, ne reputes mihi, sed secundum multitudinem misericordiarum tuarum, memento mei. Domine dilexi ministerium domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ : domum tuam decet sanctitudo, in longitudinem dierum. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et vere Dominus ipse est in sæculum. Gloria Patri, et super terram pax, et spes bona hominibus.

*Procemium ad Deiparam, vel aliud secundum varias solemnitates :*

Digitized by Google

Laudem et confessionem, gloriam, laudationem, exaltationem, et magnificentiam, referre debemus illi fructui amabili, qui e sinu virginis prodiit, et memoriam genitricis suæ præclaram et illustrem reddidit : illi Domino adorando, qui festivitates sanctorum suorum, et lætitiam felicitatis eorum inter creaturas glorificavit, illi vivo et vivifico, qui voce suavi etiam mortuos excitat, et populum suum glorificatione gratissima lætificat, quem decet gloria, etc.

*Sedra :* Adoramus te et gratias agimus tibi, creator sæculorum, et conditor creaturarum, germen benedictum quod e Maria, terra sitiente, prodiit, repletaque est terra omnis odore suavitatis ejus eximiæ, fætoremque tetrum impietatis expulit per doctrinam suam præclaram. Offerimus tibi incensum istud instar Aaron Sacerdotis, qui obtulit tibi thus purum, et prohibuit exitium a populo Israel. Petimus ecce a te Domine, ut suscipias hunc odorem thuris, quod offert tibi tenuitas nostra, pro peccatis et insipientiis nostris : pro divitibus et egenis ; pro pupillis et viduis ; pro afflictis et qui persecutionem patiuntur : pro infirmis et oppressis ; pro iis omnibus qui dixerunt et præceperunt nobis, ut in nostris ad te Christum Deum nostrum precibus, eorum meminissemus ; pro vivis et mortuis : pro animarum ipsorum quiete, in cœlesti Jerusalem : per intercessiones Patris Nostri Adami, et Evæ Matris Nostræ ; per deprecationes sanctæ genitricis Dei Mariæ : per orationes Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Patrum nostrorum, Doctorum Orthodoxæ fidei : per preces virginum utriusque sexus, et omnium sanctorum atque justorum, et referemus tibi, Domine, gloriam, laudem et adorationem, et Patri tuo et Spiritui tuo vivo et sancto nunc et semper.

*His pro tempore vel Sacerdotis arbitrio adjunguntur variæ ejusdem generis Orationes ad Deiparam, Prooemia, Sedræ, carmina Ephremitica vel Jacobitica, Orationes pro variis necessitatibus, commendationes vivorum et mortuorum.*

*Sacerdos inclinat se osculans altare dextrorsum et sinistrorsum, mox Presbyterio in circuitu ejus, et populo qui pone illum est :* Orate pro me propter Dominum. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, tam initio nostro, quam in fine. Super nos autem peccatores, misericordiæ et miseratio effundantur in utroque sæculo nunc, etc.

*Diaconus :* Pro pace et tranquillitate, *ut supra.*

*Sacerdos :* Præsta Domine Deus misericors et amator hominum, ut cum scientia, timore, et disciplina spirituali, pure, coram te

Digitized by Google

consistamus, sancte tibi ministremus : teque laudemus, ut Dominum et omnium opificem; cui adoratio et honor debentur ab omnibus; Domine Deus noster tibi gloria in sæcula, Amen.

*Et ter incensat mysteria in crucis formam, et in orbem. Mox dicitur ab omnibus :* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, *usque ad finem Psalmi.*

*Sacerdos :* Miserere mei Domine secundum misericordiam tuam, et remitte peccata nostra per clementiam tuam. Lava iniquitates et nequitias nostras, multitudine miserationis tuæ. Cor mundum crea in nobis, spiritumque rectitudinis et humilitatis, et sanctificet cogitationes nostras. Purius est enim magis, quam holocausta pacifica et legalia sacrificia. Doce iniquos viam tuam et errantes ad te converte, ut linguæ eorum justitiam tuam celebrent, et miserationibus tuis æternis digni efficiantur, Pater, Fili, etc.

*Diaconus :* Stemus decenter in oratione et precibus coram Deo Deorum, et Domino Dominorum, coram Rege Regum, coram altari propitiatorio, et coram mysteriis præclaris et vivis Salvatoris nostri, cum aromatibus impositis misericordiam tuam imploramus Domine.

*Sacerdos ponit incensum, et dicit :* Ad laudem et gloriam, *ut supra. Hoc loco inseruntur aliquot orationes metro Ephremitico aut Jacobitico, quæ dicuntur in variis solemnitatibus juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem.*

*Ter oblata incensat in modum circuli, dicens :* Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.

*Diaconus :* Miserere nobis.

*Sacerdos :* Sancte et laudabilis, potens et immortalis, Deus qui in sanctis habitas, et in sanctis requiescis, voluntate divinitatis tuæ, sanctifica Domine cogitationes nostras, et mentes nostras munda ab omnibus sordibus criminum, ut hymnum inculpatum referamus tibi, in Ecclesia tua sancta nunc et semper, etc.

*Diaconus dicit Psalmum Davidicum illi diei assignatum. Mox dicit :* Quem vidit Moses in rubo, et Ezechiel super currum, ipse ponitur super altare sanctum : accipiuntque illum populi, et vivunt. Ille cui Cherubim et Seraphim magno cum timore serviunt, ecce offertur super altare, accipiuntque illum populi et vivunt. Deus qui per misericordiam tuam suscepisti sacrificium justorum antiquorum, suscipe per misericordiam tuam sacrificium nostrum, et acceptas habeas preces nostras.

Digitized by Google

*Canticum aliud.* Populus tuus Christe. Benedictus Christus qui ædificavit Ecclesiam suam super Simonem, et elegit Sacerdotes ad dividendum in ea corpus et sanguinem suum. In timore magno stant Sacerdotes cum Diaconis, et distribuunt corpus et sanguinem Filii Dei. Oves tuæ, Christe, stant ad ostium tuum : comedunt corpus et bibunt sanguinem tuum, canuntque gloriam divinitati tuæ.

*Diaconus legit Epistolam Pauli.* Benedic Domine. Ex Paulo Apostolo Domini nostri Jesu Christi, etc.

*Lectio juxta festa et tempora.*

*Sacerdos* : Gloria Domino Pauli, Prophetarum et Apostolorum. Misericordiæ Domini sint super lectores et auditores, et super hanc urbem, omnesque habitantes in ea, in sæcula, Amen.

*Diaconus* : Psalmus Davidis dicitur coram Patre nostro.

*Sacerdos* : Deus laudem tuam suscipiat, et lætificet cor audientium te, in regno cœlorum in sæcula.

*Diaconus* : Alleluia, Alleluia.

*Sacerdos* : Immolate illi sacrificia, offerte oblationes, ascendite in atria Domini, et adorate eum in templo sancto ejus, confitemini et benedicite nomini ejus, a quo vita tribuitur. Alleluia.

*Diaconus* : Ante Evangelium Salvatoris nostri, qui annunciavit vitam animabus nostris, cum odoribus impositis, misericordiam tuam Domine deprecamur.

*Sacerdos mittit thus in thuribulum et dicit* : Benedic Domine. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie Eleison. Adoremus, laudemus et celebremus, exaltemus, extollamus et benedicamus nomen adorandum et laudandum Patris, Filii, et Spiritus sancti vivi, cujus una est potestas, una majestas, una voluntas : unus Deus, verus, benedictus, excelsus, indivisus : ipsi sit gloria, et super nos misericordiæ ejus, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen. Domine Deus omnipotens qui secundum divinam voluntatem omnia regis; omnia enim tibi subdita sunt : concede nobis Domine Deus propitiationem delictorum et remissionem peccatorum : aufer a nobis dolum et invidiam, et Spiritu tuo sancto nos sanctifica, ut digni auditores et factores simus Evangelii Christi tui : per quem et cum quo te decet laus et gloria, simul cum suffitu hoc thuris, ante lectionem Evangelii tui salutaris. Domine et Deus noster tibi gloria in sæcula.

*Diaconus* : Accedite ad me fratres, tacete et auscultate an-

Digitized by Google

nunciationem Salvatoris nostri, ex Evangelio sancto quod vobis legitur.

*Sacerdos* : Pax vobiscum. — *Populus* : Et cum Spiritu tuo.

*Sacerdos* : Ex Evangelio sancto, Domini nostri Jesu Christi, Dei nostri veri, prædicatione facta, a N. Apostolo et præcone vitæ æternæ, annunciationem vitæ et salutis audimus pro animabus nostris.

*Diaconus* : Estote in silentio, Auditores, hoc est enim Evangelium sanctum quod legitur. Fratres mei festinate, audite, et confitemini verbum Dei vivi.

*Sacerdos* : Igitur in tempore conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, dixit Discipulis suis, etc.

*Populus* : Benedic Pater.

*Sacerdos signat cruce populum, dicens* : Dextera Domini nostri Jesu Christi, et brachium potestatis ejus, et occulta virtus majestatis ejus, quæ confert omnes benedictiones, et omnia dona vitæ : ipsa quæ requievit super Apostolos sanctos, in cœnaculo sancto Sionis, eosque sanctificavit, et in monte olivarum illis benedixit, ipsa veniat, habitet et requiescat super fratres meos lectores et auditores (Evangelii) custodiatque regionem hanc, et omnes fideles in ea commorantes, civitatem hanc, et fideles ejus cives; beatam etiam requiem præstet fidelibus defunctis qui ex ea profecti sunt, fidelesque viventes qui habitant in ea semper custodiat, usque in sæcula. — *Populus* : Amen.

*Sacerdos* : Tempore igitur conversationis in terra Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, etc.

*Populus* : Domine miserere nostri.

*Hoc loco leguntur Evangelia juxta diem et solemnitatem.*

*Diaconus canit versum simplicem Ephræmiticum* : Stemus omnes in oratione coram Deo misericordi, et vocibus quæ ipsi gratæ sint, ad Deum simul clamemus. Rogemus Patrem absconditum, filium laudandum et sanctum Spiritumque sanctum Paraclitum, ut per misericordiam suam suscipiat oblationem nostram. Annunciatio tua quæ prædicata est Domine, in medio Ecclesiæ tuæ ad gregem tuum, fermentum sit animabus nostris : et per eam comparemus cibum suavem. Sacerdotes qui legerunt, veniam consequantur : Diaconi puri efficiantur : Subdiaconi et Lectores suscipiant a te remissionem. Revela gratiam tuam mentibus nostris per lectionem annunciationis tuæ, et da nobis observatores esse mandatorum

Digitized by Google

tuorum, quæ in ea sunt consignata. Matthæus, Marcus cum Luca, nec non cum illis electus Joannes, deprecentur te : et præsta misericordiam tuam erga nos omnes. Aures auditorum doctrinæ tuæ, et lectionis annunciationis tuæ, non audiant Domine vocem illam, quæ pellet et ejiciet impios. Propitius esto Domine populo tuo et miserere gregis tui, et triplices voces gloriæ offeremus Trinitati.

*Sacerdos :* Ipsi Jesu Christo laudes, gratiarum actiones, et benedictiones propter ejus viva ad nos verba : Patri ejus, qui misit eum ad salutem nostram : et Spiritui ejus vivo ac sancto nunc et semper.

*Diaconus :* Abite in pace auditores, abite auditores in pace : accedite Baptizati ad pacem ; fores claudite.

*Sacerdos :* Dominus regnavit decorem induit : Alleluia. Ego sum panis vitæ, dicit Dominus noster, qui ex alto in infima descendi, ut per me mundus vivat : misit me Pater Verbum carnis expers, et sicut agricola seminavit me Gabriel, suscepitque me uterus Mariæ, velut terra bona, et ecce serunt me manibus suis Sacerdotes super altaria. Alleluia. Suscipe oblationem nostram.

*Diaconus :* Induit Dominus fortitudinem et præcinxit se virtute, et firmavit orbem terræ ut non commoveatur. Alleluia. Filium qui facit Ministros ignis et Spiritus, qui alimento non indigent et mortem non gustant, qui edunt ignem, et carbones bibunt, Dominoque suo in timore serviunt, et offerunt trinas sanctificationes trino, benedicamus et adoremus, quia nos illis pares effecit. Alleluia. Suscipe oblationem nostram.

*Sacerdos :* Domum tuum decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.

*Diaconus :* Dominus regnavit.

*Sacerdos :* Memento Domine defunctorum, et requiem illis præsta, qui te in Baptismate induerunt, et te ex altari acceperunt.

*Diaconus :* Illi qui comederunt corpus tuum sanctum, et biberunt sanguinem tuum, calicem salutis, cum Abraham recumbant ad mensam tuam : et cum piis qui dilexerunt te, clamemus tibi gloriam, Domine. Alleluia. Da nobis et illis veniam.

*Tum recitant Symbolum fidei trecentorum decem et octo Patrum Nicænorum :* Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, etc.

Digitized by Google

*Sacerdos lavat extremos digitos et dicit :* Lavi manus meas pure : et circumdedi altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua : lætabor et exultabo in te, et psallam nomini tuo altissime.

*Et deinde* : Ingressus sum in domum tuam et coram throno tuo sancto procidi, Rex cœlestis : dimitte mihi omnia quæ peccavi tibi.

*Inclinatur coram altari, et mox ad Sacerdotes et populum conversus veniam petit et se precibus commendat, dicens :* Orate pro me propter Dominum.

*Et incipit Anaphoram sive Canonem.*

## LITURGIA SEU ANAPHORA

# S. IACOBI APOSTOLI FRATRIS DOMINI.

(*Ex eodem opere*, p. 29-43.)

*Primum dicitur Oratio ante osculum pacis :* Domine Deus noster, nos quamvis indignos, salute hac dignos effice, amator hominum : ut ab omni dolo, omnique acceptatione personarum mundati, salutemus invicem in osculo sancto et divino, constricti vinculo caritatis et pacis. Per Dominum Deum et salvatorem nostrum Jesum Christum filium tuum unigenitum, per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo. — *Populus :* Amen.

*Diaconus :* Stemus decenter et oremus, gratias agamus, adoremus et laudemus agnum vivum Dei qui offertur super altare. Divinitas sese demisit ad peccatores filios Adam, salvavitque illos ab errore et a servitute peccati. Spiritu sancto succensi sunt Prophetæ, et de primogenito locuti sunt : unusquisque illorum descripsit Ecclesiæ mysteria adventus ejus. Aperte scripsit Moses quod ipse creaturas condidit, et ipse statuit ad ministerium suum ordines ignis et spiritus. Signa Domine cruce ejus Ecclesiam, quam desponsavit in persona sua, et eleva atque constitue eam in cœlo, ad dexteram ejus qui misit illum. Beata es Ecclesia fidelis, donis quæ dedit tibi Dominus tuus, corpore et sanguine suo sancto, et cruce ejus quæ te custodit. Virginis puræ Mariæ memoriam agamus apud nos in oblatione nostra, Prophetarum, Aposto-



Digitized by Google

lorum, Martyrum, Piorum et Justorum. Vasa sancta offeruntur Patri nostro ut osculetur ea, et Pater noster in Liturgia sua recordabitur omnium qui in Christum credunt.

*Sacerdos*: Qui solus Dominus misericors es, in eos qui coram altari tuo colla inclinant mitte benedictiones tuas, tu qui in altis habitas, et humilia respicis, benedicque eos per gratiam, misericordiam et amorem erga homines Christi unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria, etc. — *Populus* : Amen.

*Sacerdos* : Deus Pater qui propter amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, misisti filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc spirituale (*in alio ms.* : terribile) et incruentum celebramus : non enim justitiæ nostræ confidimus, sed misericordiæ tuæ. Deprecamur ergo et obsecramus clementiam tuam, ne in judicium sit populo tuo, Mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem : sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas, per gratiam, misericordiam, et amorem erga homines unigeniti Filii tui per quem et cum quo te decet gloria. — *Populus* : Amen.

*Diaconus* : Date pacem unusquisque proximo suo, in caritate et fide, quæ Deo acceptæ sint. (*Sacerdos dat pacem altari ac mysteriis. scilicet illa osculatur et dicit* : Pax tecum altare Dei et pax mysteriis sanctis quæ super te posita sunt. *Et dat pacem diacono dicens* : Salve Diacone Spiritus sancti. — *Diaconus dicit* :) Vade in pace Sacerdos præclare. (*Et dant pacem in ecclesiam.*)

*Diaconus* : Stemus decenter orantes, stemus cum timore et tremore, stemus cum modestia et sanctitate : quia ecce oblatio infertur, et majestas exoritur. Januæ cœli aperiuntur, et Spiritus sanctus descendit super hæc mysteria sancta, et illabitur. In loco timoris et tremoris consistimus, et cum Cherubim et Seraphim circumstamus. Fratres et Socii Vigilum et Angelorum facti sumus, et ministerium ignis et spiritus cum illis operamur. Nullus porro ligatus sit, qui audeat accedere ad mysteria hæc, quia velum tollitur, et gratia demittitur, misericordiæque effunduntur super unumquemque, qui orat in corde puro et conscientia bona.

[*Sacerdos elevat velum et ter populum cruce signat, dicens* : Caritas Patris, gratia Filii, et communicatio Spiritus sancti, sint cum omnibus nobis. — *Populus* : Amen.

*Sacerdos* : Sursum corda. — *Populus* : Habemus ad Dominum.

Digitized by Google

*Sacerdos :* Gratias agamus Domino Deo nostro. — *Populus :* Dignum et justum est][1].

*Sacerdos inclinatus :* Vere dignum et justum est, decens et debitum, ut te laudemus, te benedicamus, te celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, tibi opifici omnis creaturæ, visibilis aut invisibilis. *Et elevans vocem :* Quem laudant cœlum et cœli cœlorum, omnisque exercitus eorum sol et luna et omne stellarum agmen, terra et maria et omnia quæ in eis sunt : Jerusalem cœlestis, Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis : Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, virtutes cœlestes, et mundo superiores exercitus cœli, Cherubim quibus oculi multi, et Seraphim quibus alæ sex, qui duabus alis tegunt facies suas et duabus pedes, duabusque alter ad alterum volitantes vocibus indeficientibus, et Theologia non conticescente, hymnum triumphalem magnificentissimæ gloriæ, voce canora concinunt, clamant, vociferantur et dicunt.

*Populus :* Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine Deus Sabaoth, pleni enim sunt cœli et terra, gloria, honore et majestate tua Domine, Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit et qui venturus est in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

*Sacerdos inclinatus :* Vere sanctus es, rex sæculorum et omnis sanctitatis largitor; sanctus etiam unigenitus Filius tuus, Dominus Deus et Salvator noster Jesus Christus : sanctus etiam Spiritus tuus sanctus, qui scrutatur omnia, etiam profunda tua, Deus Pater. Sanctus enim es qui omnia contines, omnipotens, terribilis, bonus, cum unigenito Filio tuo, qui passionum particeps fuit, et maxime propter hominem figmentum tuum, quem e terra formasti, et concessisti illi delicias paradisi. Cum vero transgressus esset mandatum tuum, et cecidit, non neglexisti aut dereliquisti illum,

[1] Plenius in Assemaniana editione :

*Sacerdos :* Tu es petra silicis ex qua duodecim tribubus Israel duodecim aquæ flumina profluxerunt. *Anaphoram i. e. velum tremulo circumfert motu et dicit :* Charitas ✠ Dei Patris, Et gratia ✠ Unigeniti Filii, Participatio et illapsus ✠ Spiritus sancti sit vobiscum, fratres, in sæcula. — *Et dum cruce signat mysteria ter dicit :* Gloria ✠ Patri et Filio ✠ et Spiritui ✠ sancto mysterio adorando et laudabili, in quo non est divisio, nunc.

*Sacerdos :* Sursum intellectus, mentes et corda nostra. — *Populus :* Ad te, Domine.

*Sacerdos :* Gratias agamus Domino in timore et adoremus cum eum tremore. — *Populus :* Dignum et justum est.



Digitized by Google

o bone, sed reduxisti illum, sicut pater summæ misericordiæ. Vocasti eum per legem, direxisti eum per Prophetas, denique filium tuum unigenitum in mundum misisti, ut imaginem tuam renovaret; qui descendit, et incarnatus est de Spiritu sancto, et ex sancta Genitrice Dei semperque virgine Maria, conversatusque est cum hominibus et omnia ad generis nostri salutem instituit.

*Et elevans vocem arripit Oblatam, et dicit :* Cum ergo suscepturus esset mortem voluntariam pro nobis peccatoribus, ipse immunis a peccato, in ea nocte qua tradendus erat pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, immaculatas, et incontaminatas, et levatis oculis in cœlum, aspexit ad te Deus Pater, et gratias agens, benedixit, ✠ sanctificavit, ✠ fregit, ✠ et dedit discipulis suis sanctis et Apostolis dicens : accipite, manducate ex eo vos omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur, in remissionem peccatorum et vitam æternam[1].

*Sacerdos :* Similiter etiam et calicem postquam cœnaverunt, miscens vino et aqua, et gratias agens ✠ benedixit ✠ sanctificavit, ✠ et dedit iisdem discipulis et Apostolis sanctis dicens : accipite, bibite ex eo vos omnes[2]. Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro vobis, et pro multis fidelibus effunditur, et datur in remissionem peccatorum, et vitam æternam. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Hoc facite in memoriam mei : quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem istum bibetis, mortem meam annuntiabitis et resurrectionem meam confitebimini, donec veniam.

*Populus :* Mortis tuæ, Domine, memoriam agimus, resurrectionem tuam confitemur, et adventum tuum secundum expectamus; misericordiam et gratiam a te postulamus, remissionem peccatorum precamur : misericordiæ tuæ sint super nos omnes.

*Sacerdos :* Memoriam igitur agimus, Domine, mortis et resurrectionis tuæ et sepulchri post triduum, et ascensionis tuæ in cœlum, et sessionis tuæ ad dexteram Dei Patris : rursumque

[1] Hic iuxta editionem Assemanianam populus respondet : *Amen;* de qua responsione verbum facit Dionysius noster; cf. p. 77.

[2] Hic et infra, cruces quas ubique neglexit Renaudotius juxta Assemanianam editionem adposuimus. Notandum vero est quod depictae sunt ad normam librorum Maronitarum; cf. p. 90, n. 1.

Digitized by Google

adventus tui secundi, terribilis et gloriosi, quo judicaturus es orbem in justitia, cum unumquemque remuneraturus es secundum opera sua. Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum, Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis : sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, dele peccata nostra, servorum nempe tuorum tibi supplicantium. Populus enim tuus et hæreditas tua deprecatur te et per te et tecum Patrem tuum, dicens.

*Populus :* Miserere Deus Pater omnipotens, miserere nobis.

*Sacerdos :* Nos etiam infirmi et peccatores servi tui, Domine, gratias agimus tibi, laudamus te, pro omnibus et propter omnia.

*Populus :* Laudamus te, benedicimus te, et adoramus te, gratias agimus tibi et precamur a te veniam, Domine Deus, miserere nobis et exaudi nos.

*Sacerdos :* Præcipue vero sanctæ et gloriosæ semper Virginis beatæ genitricis Dei Mariæ memoriam agimus.

*Diaconus :* Quam terribilis est hæc hora : quam timendum tempus istud, dilecti mei, quo Spiritus vivus et sanctus ex excelsis sublimibus cœli advenit, descendit et illabitur super Eucharistiam hanc in sanctuario positam, eamque sanctificat : cum timore et tremore estote stantes et orantes. Pax nobiscum sit, et securitas Dei Patris omnium nostrum; clamemus et dicamus ter : Kyrie eleison.

*Sacerdos inclinatus dicit Invocationem Spiritus sancti :* Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum, Dominum et vivificantem, qui tibi throno æqualis est, et Filio æqualis regno, consubstantialis et coæternus; qui locutus est in Lege et Prophetis et Novo Testamento tuo; qui descendit in similitudine columbæ super Dominum nostrum Jesum Christum, in Jordane flumine : qui descendit super Apostolos Sanctos in similitudine linguarum ignis.

*Populus :* Kyrie eleison *ter*.

*Sacerdos :* Ut adveniens efficiat panem istum, corpus vivificum, corpus ✠ salutare, corpus ✠ cœleste, corpus ✠ animabus et corporibus salutem præstans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam æternam accipientibus illud. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem ✠

Digitized by Google

Testamenti Novi, ✠ sanguinem salutarem, sanguinem ✠ vivificum, sanguinem cœlestem, sanguinem animabus et corporibus salutem præstantem, sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi : in remissionem peccatorum et vitam æternam suscipientibus illum. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Ut sint nobis et omnibus qui ex illis accipient, iisque communicabunt, ad sanctitatem animarum et corporum ad fructificationem operum bonorum, ad confirmationem Ecclesiæ tuæ sanctæ, quam super veræ fidei petram fundasti, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, cum liberaturus sis illam ab omnibus hæresibus et scandalis operantium iniquitates, usque ad consummationem sæculi : per gratiam, misericordiam et amorem erga homines unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et honor. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos inclinatus :* Quapropter offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis quæ per manifestationem Christi Filii tui illustrasti ; præcipue vero pro Sion sancta, matre omnium Ecclesiarum, et pro Ecclesia tua sancta toto orbe diffusa.

(*Pro pastoribus Ecclesiæ*). *Diaconus :* Benedic Domine. Oremus et deprecemur Dominum Deum nostrum, hoc temporis momento, magno, timendo et sancto, pro patribus et rectoribus nostris, qui hodie nobis præsunt, et in præsenti vita Ecclesias sanctas Dei pascunt et gubernant : venerandis et beatis Domino N. Patriarcha nostro et D. N. Metropolita, reliquisque Metropolitis et Episcopis venerandis Dominum deprecemur.

*Sacerdos :* Dona ditissima Spiritus tui sancti concede ipsis, Domine. Memento, Domine, sanctorum Episcoporum nostrorum, qui nobis recte verbum veritatis dispensant, præcipue vero Patris Patrum et Patriarchæ nostri Domini N. et Domini N. Episcopi nostri, cum reliquis omnibus episcopis Orthodoxis. Canitiem ipsis venerandam concede Domine : multis annis ipsos conserva, pascentes populum tuum cum omni pietate et sanctitate. Memento, Domine, Presbyterii hujusce, et cujuscumque alterius loci : Diaconatus in Christo, omnisque ministerii et omnis Ordinis Ecclesiastici. Memento etiam, Domine, paupertatis meæ, qui me licet indignum, vocare tamen dignatus es. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, sed secundum multitudinem miserationum tuarum, memento mei tu : si enim iniquitates obser-

Digitized by Google

vaveris; Domine, Domine, quis poterit coram te sustinere? Quia apud te propitiatio est : visita me et purifica me, ut ubi abundavit peccatum, ibi superabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, eorum qui in vinculis jacent aut carceribus detinentur : fratrum etiam nostrorum qui in exilio sunt : infirmorum, aut qui male affecti sunt : eorum qui a spiritibus immundis infestantur, aut agitantur. Memento etiam, Domine, aeris, imbrium, roris, fructuum terræ et coronæ anni; oculi enim omnium in te sperant, et tu das illis escam eorum in tempore opportuno : aperis tu manum tuam omnibus sufficientem, et imples omne animal bona tua voluntate. *Elevans vocem :* Eripe me, Domine Deus, ab omni angustia, ira et adversitate, ab omni machinatione et infestationibus perversorum hominum, ab omni impetu et violentia dæmonum, ab omni plaga a te immissa Domine, quæ peccatorum nostrorum causa nobis accidit, et conserva nos in fide orthodoxa et observatione mandatorum tuorum, quæ sancta sunt, et vivifica, nos nempe et omnes qui digni fuerunt coram te consistere, et uberes a te misericordias expectant : quia tu Deus es, qui vis misericordiam : et tibi gloriam referemus, etc. — *Populus :* Amen.

*Pro fratribus fidelibus. Diaconus :* Iterum atque iterum commemoramus fratres nostros fideles, Christianos veros, qui prius monuerunt et injunxerunt nobis infirmis et imbellibus, ut memores eorum essemus in hoc temporis articulo. Et pro illis qui omni genere tentationum et afflictionum vexati sunt.

*Sacerdos inclinatus :* Rursus meminisse dignare eorum qui nobiscum in oratione consistunt, patrum, fratrum, magistrorumque nostrorum, et eorum qui absunt. Memento etiam, Domine, eorum qui præceperunt nobis ut eorum memoriam ageremus in orationibus ad te Deum nostrum. Unicuique illorum concede, Domine, petitiones suas, quæ quidem ad salutem spectant. Memento, Domine, et illorum qui intulerunt oblationes ad altare tuum sanctum, et eorum pro quibus singuli obtulerunt, et eorum qui offerre voluerunt, sed non potuerunt : eorum quos unusquisque habet in mente, et eorum qui nunc nominantur. *Et elevans vocem :* Memento, Domine, omnium quorum meminimus, et eorum quorum non meminimus, et secundum multitudinem mansuetudinis tuæ, retribue illis gaudium salutis tuæ, suscipiens sacrificia illorum in immenso cœlo tuo, dignosque efficiens visitatione et auxilio tuo : confirma illos virtute tua, et fortitudine tua,

Digitized by Google

illos instrue, quia tu es misericors et misericordiam cupis, teque decet gloria, honor et potentia, simul cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo. — *Populus* : Amen.

*Pro Regibus. Diaconus* : Iterum et iterum commemoramus omnes Reges fideles, Christianos veros : qui Ecclesias et Monasteria Dei in quatuor mundi partibus ædificaverunt et fundaverunt : totamque rempublicam Christianam, Clerum et populum fidelem, ut in virtutibus proficiant, Dominum deprecemur.

*Sacerdos inclinatus* : Memento etiam, Domine, piorum Regum nostrorum et Reginarum : apprehende arma et scutum, et exsurge in auxilium eorum. Subjice illis hostes omnes et adversarios, ut placidam tranquillamque vitam agamus, in omni timore Dei et humilitate. (*Elevans vocem*) : quia tu salutis refugium es, et potestas auxiliatrix : victoriæque dispensator, erga eos omnes qui te invocant, et sperant in te, Domine. Et tibi gloriam et laudem referemus. — *Populus* : Amen.

*Memoria sanctorum. Diaconus* : Iterum atque iterum commemoramus vere beatam, laudatamque ab omnibus generationibus terræ sanctam, benedictam, semper Virginem genitricem Dei Mariam, simulque memoriam agimus Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Prædicatorum, Martyrum, et Confessorum; et B. Joannis Baptistæ præcursoris; gloriosi S. Stephani primi martyris, ac primi Diaconi, et unumquemque eorum commemorantes, Dominum deprecemur.

*Sacerdos inclinatus* : Quoniam igitur est tibi potestas vitæ et mortis, Domine, Deusque misericordiarum et amoris erga hominem tu es, nos dignos effice ut omnium illorum qui a sæculo tibi placuerunt, memoriam agamus : Patrum sanctorum et Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum, Joannis præcursoris et Baptistæ, S. Stephani primi Diaconorum, et primi Martyrum, et sanctæ genitricis Dei semperque Virginis beatæ Mariæ et omnium sanctorum. *Elevans vocem* : Rogamus te, Domine, multæ misericordiæ, qui impossibilia veluti possibilia creas, constitue nos in hac beata congregatione : accense nos huic Ecclesiæ, statue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui scripti sunt in cœlis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut dum ipsi stabunt coram throno tuo, nostræ quoque tenuitatis et infirmatis meminerint, tibique nobiscum offerant sacrificium hoc tremendum et incruentum, ad custodiam quidem eorum qui vivunt, ad consolationem infirmorum

Digitized by Google

et indignorum, quales nos sumus : ad quietem, memoriamque bonam eorum, qui in fide vera dudum obierunt patrum, fratrum, et magistrorum nostrorum, per gratiam et misericordiam, (et clementiam Unigeniti Filii tui per quem et cum quo), etc. — *Populus* : Amen.

*Commemoratio Doctorum. Diaconus* : Iterum commemorantes coram te, Domine, Doctores divinos, qui fidei irreprehensibilis explanatores, qui moribus præclaris ornati, obierunt et quieverunt, nobisque fidem Orthodoxam ordinaverunt et tradiderunt : Dominum deprecemur, etc.

*Sacerdos inclinatus* : Memento, Domine, sanctorum Episcoporum qui pridem obdormierunt, qui verbum veritatis nobis dispensaverunt : qui a Jacobo principe Episcoporum Apostolo et Martyre, usque ad hanc diem, verbum fidei Orthodoxæ in Ecclesia tua sancta prædicaverunt. *Elevans vocem* : Luminum et Doctorum Ecclesiæ tuæ sanctæ, qui præclarum fidei certamen ediderunt, qui nomen tuum sanctum tulerunt coram populis, regibus et filiis Israel, eorumque precibus et supplicationibus, pacem tuam Ecclesiæ tuæ tribue : doctrinas eorum et confessionem eorum in animis nostris confirma : hæreses nobis noxias cito comprime, et consistentiam absque confusione, coram tribunali tuo nobis concede : quia sanctus es, Domine, et in sanctis requiescis : qui sanctorum es consummator atque perfector : et tibi gloriam, etc. — *Populus* : Amen.

*Commemoratio fidelium defunctorum. Diaconus* : Iterum etiam commemoramus omnes defunctos fideles, qui in fide vera defuncti sunt, ex altari hoc sancto, et ex hoc pago, et ex quacumque regione, qui in fide vera pridem obdormientes quieverunt, et ad te Deum Dominum spirituum et omnis carnis pervenerunt. Rogamus, imploramus, et deprecamur Christum Deum nostrum, qui suscepit ad se animas et spiritus eorum, ut per miserationes suas multas, præstet illos dignos venia delictorum et remissione peccatorum : nosque et illos pervenire faciat ad regnum suum in cœlis. Ea propter clamemus et dicamus Kyrie eleison *ter*.

*Sacerdos inclinatus* : Memento etiam, Domine, Sacerdotum Orthodoxorum, pridem defunctorum, Diaconorum et Subdiaconorum, Psaltarum, Lectorum, Interpretum, Cantorum, Exorcistarum, Monachorum, Religiosorum, Auditorum, Virginum perpetuarum, et sæcularium, qui in fide vera defuncti sunt, et

Digitized by Google

eorum quos unusquisque designat animo. *Elevans vocem :* Domine Deus spirituum et omnis carnis, omnium memento quorum meminimus, qui in fide Orthodoxa ex hac vita migrarunt, da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem, liberans eos a damnatione infinita ventura, et dignos efficiens gaudio quod est in sinu Abraham, Isaac et Jacob : ubi splendet lumen vultus tui, unde procul sunt dolores, angustiæ et gemitus, non reputans illis omnia delicta illorum. Non autem intres in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, nec ullus est a peccati culpa immunis, aut a sordibus purus, ex hominibus qui super terram sunt, nisi unus Dominus noster Jesus Christus unigenitus filius tuus, per quem nos etiam misericordiam et remissionem peccatorum consequi speramus, quæ propter eum est, et nobis et illis.

*Populus :* Quietem præsta illis, et propitius esto, et dimitte, Deus, insipientias et defectus omnium nostrum, sive scienter, sive ignoranter (ea contraximus).

*Sacerdos inclinatus :* Remitte, dimitte, ignosce, o Deus, peccata omnium nostrum voluntaria et involuntaria, scienter et ignoranter commissa, verbo, opere, aut cogitatione, occulta et nota, publica, antiqua, per errorem admissa et omnia quæ novit nomen tuum sanctum. *Elevans vocem :* Finem igitur nobis Christianum conserva, et sine peccato; congregans nos subter pedes electorum tuorum, quando, ubi, et sicut volueris : tantummodo absconde nos a confusione iniquitatum nostrarum; ut etiam in hoc, velut in omnibus, laudetur et celebretur nomen tuum honoratissimum et benedictum, et Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti.

*Populus :* Sicut est, et fuit, in generatione generationum, et futurorum sæculorum in sæcula. Amen[1].

*Sacerdos :* Pax. — *Populus :* Et cum.

*Sacerdos :* Misericordiæ Dei sint super nos omnes. *Tum dicet :* Credimus, accedimus, obsignamus ✠, et frangimus Eucharistiam hanc : panem cœlestem, corpus Verbi Dei vivi, in calice salutis et gratiarum actionis, in crucis modum signamus, ✠ cum particula propitiatoria, mysteriisque supernis plena, in nomine ✠ Patris ✠ vivi, ad ✠ vitam : et unigeniti ✠ Filii, (et sancti geniti ab eo

[1] Apud Assemanum : *Sicut erat, est, et erit in generatione et generationem et in sæculum sæculorum. Amen.* — De hac sententia cf. p. 85.

Digitized by Google

ipsique similis ✠ vivi in vitam ✠), et Spiritus ✠ sancti, principii, perfectionis, et sigilli omnium quæ sunt et fuerunt in cœlo et in ✠ terra : ✠ unius ✠ virtutis, ✠ unius ✠ potestatis, ✠ unius ✠ voluntatis, ✠ unius ✠ Dei veri, benedicti, excelsi et indivisi, a quo est vita in sæcula sæculorum.

*Populus :* Amen.

*Diaconus voce magna dicit Catholicam :* Benedic, Domine. Iterum atque iterum per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti vivi, pro Patre nostro Sacerdote præclaro, qui illud obtulit et consecravit, et pro altari Dei, super quod illatum est, et pro populis benedictis qui accedunt, et accipiunt illud in fide vera, et his pro quibus oblatum et consecratum est, iterum impensius oramus. Ecce tempus timoris, ecce hora terrore plena : superi in timore consistunt, et illi cum tremore ministrant; terror filiis lucis immittitur, et terreni illum non sentiunt, hora qua venia affertur, peccata ab illa fugiunt. Ministri Ecclesiæ tremite, quia ignem vivum administratis. Potestas quæ vobis data est excellentior est illa quam habent Seraphim. Beata anima quæ nunc in Ecclesia adest cum puritate, quia Spiritus sanctus scribit nomen ejus, illudque elevat in cœlum. Diaconi estote cum tremore, hoc tempore sancto, quo descendit Spiritus sanctus, ad sanctificanda corpora eorum, qui illud suscipiunt. Aspice, Domine, oculo misericordi servum tuum, qui stat et sacrum celebrat. Suscipe, Domine, oblationem istam, ut illam Prophetarum et Apostolorum. Memento, Domine, patrum et fratrum nostrorum, ut etiam magistrorum nostrorum, nosque et illos dignos præsta per misericordiam tuam regno cœlesti. Memento, Domine, per gratiam et miserationes tuas divinas, Domini N. Patriarchæ nostri et D. N. quorum orationes nobis adsint. Memento, Domine, absentium, et miserere præsentium. Quietem quoque præsta spiritibus defunctorum, et parce peccatoribus in die judicii. Defunctorum, qui a nobis separati ab hoc sæculo migraverunt spiritibus, Christe quietem præsta, cum piis et justis. Crux tua pons sit illis, et baptismus tuus tegumentum. Corpus tuum et sanguis tuus sanctus, via sint quæ deducat ad regnum tuum. Gloriam perpetuam, cum adoratione acceptabili decet nos referre ex medio sanctuarii, Patri, Filio et Spiritui sancto vivo, ut ipse Deus verus adimpleat nobiscum gratiam,

Digitized by Google

benedictionem miserationem et clementiam suam, ex hoc nunc usque ad finem : nosque omnes cum oratione Dominum deprecemur.

*Sacerdos ante orationem Dominicam, dicit :* Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sedes super Cherubim, et a Seraphim laudaris : coram quo consistunt mille Angelorum myriades, excelsa et cœlestia agmina : quia oblationes ex donis et proventibus fructuum tibi oblatis in odorem suavitatis, dignatus es sanctificare et perficere per gratiam unigeniti Filii tui, et per illapsum Spiritus tui sancti. Sanctifica etiam Domine animas nostras, corpora nostra, spiritusque nostros, ut corde puro, anima lucida, et facie inconfusa, audeamus invocare te Deum cœlestem, Patrem omnipotentem, oremusque et dicamus : Pater noster qui es in cœlis. — *Populus :* Sanctificetur, etc.

*Sacerdos :* Domine Deus noster, ne inducas nos in tentationem, quam virtute destituti sustinere non possimus, sed fac etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, et libera nos a malo: Per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem (et cum quo tibi convenit gloria honor et potestas cum tuo Spiritu). — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Pax. — *Populus :* Et cum.

*Diaconus :* Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa, et suscipe benedictionem a Domino.

*Sacerdos :* Tibi inclinant servi tui capita sua, expectantes misericordias uberes a te. Benedictiones copiosas quæ a te sunt, mitte, Domine, et sanctifica animas, corpora, spiritusque nostros, ut digni simus communicandi corpori et sanguini Christi Salvatoris nostri : per gratiam et misericordiam et amorem ejusdem Jesu Christi Domini nostri, cum quo laudatus et benedictus es, in cœlis et in terra cum spiritu tuo, etc. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Pax. — *Populus :* Et cum.

*Saeerdos :* Misericordiæ Dei. — *Populus :* Et cum spiritu tuo.

*Diaconus :* Unusquisque cum timore et tremore ad Deum aspiciat, et misericordiam et gratiam a Domino postulet.

*Sacerdos :* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus potens Sabaoth, pleni sunt cœli et terra laudibus tuis. Exaltare super

Digitized by Google

cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua : ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis, etc.

*Et post pauca Eucharistiam accipiens in manibus dicit illa voce:* Sancta sanctis ✠ in perfectione, puritate et sanctitate traduntur.

*Tum dicunt omnes simul :* Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus est in cœlo et in terra : ipsi gloria in sæcula. Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, omnia sanctificanti, et omnia expianti.

*Sacerdos* (*circumferens calicem*) : Domine vere et certo credimus, et in te credimus, quemadmodum credit in te Ecclesia sancta et Catholica : quod sis unus Pater sanctus, cui sit gloria, Amen. Unus Filius sanctus, ipsi laus, Amen. Unus Spiritus sanctus, ipsi gloria et gratiarum actio in sæcula, Amen.

*Diaconus :* In resurrectione Christi Regis accipiamus veniam animabus nostris in fide, et dicamus omnes æqualiter, Filio qui salvavit nos per crucem suam. Benedictus Salvator noster Sanctus, Sanctus, Sanctus es omnibus modis, magnificans memoriam genitricis suæ, sanctorum et defunctorum fidelium, Alleluia. Virtutes cœlorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis. Accedite, accipite ex eo remissionem peccatorum et delictorum, Alleluia. Super altare tuum sanctum Domine, memoria fiat patrum, fratrum, doctorumque nostrorum, resurgantque ad dexteram tuam in die ortus majestatis tuæ, Rex Christe. Alleluia. Benedictus Dominus qui dedit nobis corpus et sanguinem suum vivum, ut per illa veniam consequamur, etc. Cum statis in sanctuario Sacerdotes aperite ostia cordium vestrorum, dicite psalmum et benedicite super Eucharistiam hanc in sanctuario positam. *Psalmus 150.*

*Sacerdos interjectis aliquot orationibus quæ pro Ecclesiarum consuetudine variæ sunt, frangit ex majori Eucharistici panis parte minorem aliam, qua in calice intincta, reliquas in modum crucis signat, dicens :* Inspergitur sanguis Domini nostri, corpori ejus, in nomine Patris ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti. ✠

*Eamdem particulam immittit in calicem dicendo :* Miscuisti Domine divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua ; vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem nostram cum vita tua ; accepisti quæ nostra erant, et

Digitized by Google

dedisti nobis tua, ad vitam, et salutem animarum nostrarum, tibi gloria in sæcula.

*Sacerdos accipit corpus Christi, dicens :* Præsta Domine ut sanctificentur corpora nostra per corpus tuum sanctum, et purificentur animæ nostræ per sanguinem tuum propitiatorium, sintque ad veniam delictorum et remissionem peccatorum nostrorum ; Domine Deus tibi gloria in sæcula.

*Mox Eucharistiam distribuit Sacerdotibus, Diaconis, deinde Laicis, dicens :* Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi datur tibi in veniam delictorum, et remissionem peccatorum in utroque sæculo. (Amen.)

*Interea dum communio administratur cum cochleari, Diaconus reliquis succinentibus clamat :* Fratres mei accipite corpus filii, clamat Ecclesia , bibite sanguinem ejus cum fide, et canite gloriam : hic est calix quem miscuit Dominus noster super lignum crucis : accedite mortales, bibite ex eo, in remissionem delictorum. Alleluia, et ipsi laus; de quo bibit grex ejus, et puritatem consequitur.

*Qui versus ut et multi alii, juxta communicantium numerum minuuntur vel producuntur : mox Sacerdos abstergit vasa, Diaconorum ministerio, et deinde dicitur Oratio gratiarum actionis :* Gratias agimus tibi Deus, et præcipue laudamus te ob immensum et ineffabilem erga homines amorem tuum. O Domine, quos admittere dignatus es ad participationem mensæ tuæ cœlestis, ne damnes ob susceptionem mysteriorum tuorum sanctorum et immaculatorum. Verum o bone, custodi nos in justitia et sanctitate, ut digni effecti communicatione Spiritus tui sancti, partem, sortem et hæreditatem consequamur cum sanctis illis omnibus, qui ex hoc mundo tibi placuerunt : per gratiam, etc. — *Populus :* Amen.

*Sacerdos :* Pax. — *Populus :* Et cum spiritu tuo.

*Diaconus :* Iterum atque iterum pro consummatione mysteriorum horum sanctorum, Deum precemur.

*Sacerdos :* Deus magne et mirabilis, qui inclinasti cœlos et descendisti pro nostra hominum salute, aspice nos per misericordiam et gratiam tuam : benedic populo tuo, et hæreditatem tuam conserva : ut semper et omni tempore laudemus te, quia solus es Deus noster verus : et Deum Patrem genitorem tuum et Spiritum tuum sanctum nunc et semper, etc. — *Populus :* Amen.

*Diaconus :* Benedic Domine. — *Sacerdos :* Benedic (nobis)

Digitized by Google

omnibus, conserva omnes (nos), vitæ et salutis viam ostende nobis, fiat misericordia tua super nos, fratres nostros absentes custodi, præsentes tuere, eosque qui in hac Eucharistia verbo seu opere nobiscum partem habuerunt; Deus, qui priorum Justorum Abraham, et Isaac, et Jacob oblationes suscepit, ipse suscipiat oblationes, vota, primitias et decimas eorum, donet requiem et præstet bonam memoriam defunctis ipsorum, et custodiat vivos precibus Matris vitæ Deiparæ Mariæ et omnium sanctorum in sæcula. — *Et dicit :* Ite in pace, fratres charissimi ; gratiæ et miserationibus sanctissimæ et gloriosissimæ Trinitatis commendamus vos[1] cum viatico et benedictione quam ex propitiatorio Domini altari sumpsistis, triumphali Cruce redempti. Ipsa Trinitas vitam vestram a corruptione et peccati potestate præservet nosque precibus vestris adjuvet, Magistri et Fratres nostri in sæcula.

*Vel aliam benedictionem pro Ecclesiarum consuetudine et festorum varietate diversam : qua recitata Diaconus incipit psalmum* Benedicam Dominum in omni tempore. *Quo dicto abeunt et finitur Liturgia.*

[1] Ita textus ; in versione perperam : «*commendati*».

Digitized by Google

Digitized by Google

# EXPOSITIO LITURGIAE.

**IN SPE DEI**
**CONSCRIBIMUS EXPOSITIONEM LITURGIAE ORDINATAM ET ILLUSTRATAM**
**A PATRE NOSTRO MAR DIONYSIO METROPOLITA AMIDAE.**

## CAPUT PRIMUM.

Quoniam quidem ad nos scripsit relligio tua[1], frater noster, Mar Ignati, metropolita Urbis Sanctae[2], ut expositionem liturgiae a veteribus illustratam ad te mitteremus, ex qua *ἀπόκρισιν* sive colloquium et responsionem adversus Romanos seu Francos efficeres, nobis non visum est ut labore *tantum* veterum et compendio quodam sententiarum eorum dilectum nostrum delectaremus; verum quidquid a nobis conquisitum et collectum ordinatumque est in libro theologiae, et de incarnationis mysterio et de naturis intellegibilibus et sensibilibus, et de sacramentis ecclesiae ceterisque, *nobis visum est ut* communicaremus cum amico nostro probatissimo, ut plenus consummatusque fieret etiam in scientia mysterii eucharistiae, quam a nobis postulavit.

*Itaque, o *vir* semper verbo dignissime, orationem ede pro nostra humilitate, quod petitionem tuam non reddidimus inanem, oboediens verbo dominico quod praecipit[3] : « Orate pro alterutro ut curemini. » Non solum illustrationem quam in recitato libro reposuimus non abbreviabimus, ne fiat sermo exiguus aut contractus *nimis* aut imperfectus; sed etiam propter delectationem tuam in variis locis res utiles addemus in modum *ἀκολουθίας*, id est consequentiae, quod a nobis exigitur ut recreeris incremento granorum spiritualium et dites filios Cethim, Romanos scilicet, ut vocantur, a quibus Graeci rapuerunt adpellationem Romaeitatis quae deducitur ex Romulo, qui aedificavit Romam, constitueruntque nomen *illud* super se. Cum enim viderent adpellationem suam minime probatam esse, quae Hellen sonat, Graecus nempe, quod interpretantur pa-

*p. 2.

[1] Litt. : « timor Dei qui est in te ». — [2] Nempe : Ierusalem. Ignatius eam sedem occupavit annis 1140-1185. — [3] Iac., v, 16.

ganum, reliquerunt eam *adpellationem* et furati sunt nomen Romaeitatis seu Romanorum; sed licet usu hominum Romani vocentur, libri tamen sancti nomine manifesto Graecitatis seu Graecos eos adpellant. Melchitae *etiam vocantur*, quia confessionem *fidei* patrum reliquerunt et adhaeserunt sententiae Marciani imperatoris; rursum Chalcedonenses vocantur propter dualitatem et duas naturas secundum doctrinam recentiorem quae scaturivit in synodo seu concilio Chalcedonis urbis. Cum vero consilium nostrum hac de re non sit, nos decet pullum exstimulare, sive mentem ad *καμπτόν* convertere, scilicet ad rem nobis propositam. Et de his satis.

## CAPUT SECUNDUM.

*Κεφάλαιον* SEU CAPUT SECUNDUM huius tractatus. Et est sermo sex-
*p. 3. tus et octogesimus ***πραγματείας* quae a nobis confecta est; et eius in capite primo mentionem fecimus.

Eodem igitur divino ardore inflammati, et gratiam mysteriorum colligentes eo venimus ut, post *ἀκολουθίαν*, seu consequentiam sermonis de baptismo, sensus absconditos et occultos de mysteriis sanctis corporis et sanguinis in medium proferamus, et gradatim velamen super ea *positum* auferamus et coram audientibus timentibus Deum ea proponamus, ut, dum sapore qui intus latet iucundatur intellectus, orationem emittat pro eo qui ordinavit et composuit *haec*, secundum virtutem quae ex alto ei concessa fuerat. Incipiamus ergo paullo superius.

Seminantur quidem grana tritici ab operariis corporalibus in agris naturae; similiter mysteria et figurae Filii seminata sunt ab agricolis, prophetis scilicet, in agris rationalibus, scilicet in populo Hebraeorum. Germinant grana virtute imbrium et roris, et impinguantur spiramentis ventorum, et ad perfectionem ducuntur: pariter etiam mysteria Filii parabolis et similitudinibus et varietate diversi generis prophetiarum finem acceperunt et ad consummationem pervenerunt. Metuntur grana et ex agro ad aream portantur; similiter mysteria Filii e populo missa sunt et ad gentes translata sunt. Pariter quoque adnunciatio Gabrielis ex alto ad humanitatem nostram deducta est. Grana in situla tolluntur et mola comminuuntur; itidem verba scripturarum effusa sunt in aures christianorum, et explanata sunt mysteria quae in eis *continentur*. Pariter rursus adnunciatio effusa est in aures Virginis, et accurate

Digitized by Google

eius mente explorata est. Postea subiguntur grana quae comminuta sunt, et igni coquuntur : * [p. 4.] pariter etiam Filius unitus est carni nostrae miserae sine confusione in utero Virginis, et igne divinitatis suae languorem nostrum roboravit, quando incarnatus est e Virgine sine mutatione per Spiritum Sanctum. Constituitur hostia sive sigillum et panis mysteriorum ex elementis[1], et ad consecrationem et mysticum sacrificium seponitur : Filius pariter ex divinitate, anima, corpore, una hypostasis composita et una natura incarnata sine confusione aut conversione apparuit, sepositus quoque est ad crucem ut immolaretur in carne pro salute nostra.

Nunc vero ad hoc veniamus ut consideremus quot adpellationibus nominetur communio illa mysteriorum corporis et sanguinis. Dicimus sex nominibus rem illam designari : 1. congregatio[2]; 2. communio ; 3. liturgia ; 4. oblatio ; 5. mysterium ; 6. consummatio consummationum.

Congregatio quidem vocatur, quod vitam divisam in nobis congregat in unitatem unius Dei. — Communio, quod communicamus corpori Christi et sumus cum eo unum corpus secundum illud[3]: «Qui manducat corpus meum et bibit meum sanguinem», et secundum illud[4] : «Membra sumus Christi». — Liturgia[5] autem vocatur quia per ipsum coniuncti sunt inter se remoti et propinqui, et caelestes et terreni, sicut dicit Paulus[6] : «Per eum nobis fuit coniunctio duobus : populo dico et gentibus.» — Oblatio nuncupatur quia fuit oblatio in cruce ad Deum Patrem pro peccatis nostris; sicut dicit Apostolus[7] : «Obtulit semetipsum pro nobis», et reliqua. In lege etiam oblationes nuncupabantur sacrificia illa quae pro peccatis offerebantur. — Mysteria quidem vocantur quia mystice[8] tradidit ea Christus discipulis suis in cenaculo. — Consummatio autem consummationum, quia * [p. 5.] sine eo non consummatur vel unum ex mysteriis divinis. Qui baptizatur nisi sumpserit mysteria non consummatur; similiter et qui ordinatur eisdem mysteriis consummatur et perficitur.

Sed sunt rursus aliae adpellationes, verbi gratia : 7. Eucharistia, scilicet confessio; 8. sacrificium. Atque hoc sacrificii nomen genericum est et collectivum, et dividitur in sequentes species seu

[1] AB add : «quattuor», melius. — [2] Graece : σύναξις. — [3] Ioh., vi, 55. — [4] I *Cor.*, vi, 15. — [5] Verbum syriacum refertur ad radicem quae idem sonat atque «appropinquare, admoveri». — [6] *Eph.*, ii, 14. — [7] *Hebr.*, vii, 27; ix, 14, 28. — [8] Verbum syriacum aeque valet ac verbum graecum μυστικῶς «secreto».



Digitized by Google

modos. *a.* Sacrificium vocatur illud quo, per sanguinem ovium et taurorum ceterorumque, utebantur veteres, et de eo lex praecipiebat. *b.* Rursus vocatur sacrificium, illud quo se ipsum obtulit Christus in cruce; *quod* symbolice designabatur sacrificio figurativo. *c.* Dicitur rursus sacrificium etiam occisio martyrum. *d.* Dicitur rursus sacrificium mortificatio corporis circa passiones, et abolitio malarum cogitationum. *e.* Dicitur rursus sacrificium laudis etiam fructus labiorum confitentium Deo; hoc ad mundum quoque futurum transibit. *f.* Dicitur rursus sacrificium eucharistia mystica[1]. Est etiam et dicitur sacrificium incruentum ut secernatur ab illo *sacrificio* legali quod per sanguinem explebatur. Porro dicimus panem caelestem vere et realiter esse corpus Filii Dei; et idem ipsum corpus hypostasis Verbi, quod assumpsit ex Maria, et factum est sacrificium *victima*, in cruce propter nos. Iterum dicimus prima sabbati[2] Pentecostes venisse Spiritum sanctum super apostolos. Secunda sabbati consecraverunt *μῦρον*. Tertia sabbati consecraverunt tabulam sive altare. Die quarta sabbati obtulit Iacobus, frater Domini nostri, liturgiam quae eius *nomine* vocatur (et incipit[3]):
*p. 6. Deus universorum et Domine, et reliqua. Et cum interrogaretur *unde eam sumpsisset, respondit : «Vivit Dominus; neque addidi, nec minui quidquam ex eo quod a Domino nostro audivi.» Propterea haec est liturgia primitiva et antiquissima. Ea vero hic finiantur.

## CAPUT TERTIUM.

In secundo capite quod est tertium huius tractatus in promptu sumus ut ostendamus quomodo nos docuerit sanctus Iacobus Edessenus de ordine oblationis offerendae; scripsit enim sic ad Thomam presbyterum[4] :

Ita tradiderunt nobis patres nostri de hoc ministerio mystico rationalis et incruenti sacrificii, hoc est, de oblatione, nempe liturgia. Post lectionem sacrorum librorum veteris ac novi testamenti tres oportet fieri orationes : prima oratio super audientes (*seu catechumenos*), cum diaconus proclamat : ite audientes : ut nimirum sub manum episcopi vel presbyteri transeant, susceptaque impositione manus egrediantur. Postea fiat oratio super ener-

[1] AB : «dicitur sacrificium eucharistiae (sacrificium) mysticum»; forte melius. — [2] i. e. dominica die. — [3] cum AB. — [4] Cf. Assemani, *Bibl. or.*, t. I, p. 479-486.

gumenos qui, proclamante diacono : ITE ENERGUMENI, sub manum episcopi vel presbyteri a quo edocti sunt transeunt, et egrediuntur. Tertiam quoque orationem faciebant super paenitentes qui, dimittente etiam eos diacono, exibant. Verum haec omnia ab ecclesia evanuerunt, etsi eorum mentionem diaconi aliquando faciunt, eadem ex antiquo more proclamantes. Post haec exclamat diaconus : CLAUDANTUR FORES ECCLESIAE; sed fortasse quispiam nos percontabitur, cur portae tunc clauderentur. Cui respondemus : Causa cur clausis ianuis cum silentio et orali traditione sacramenta perficerentur est haec: *primo, propter metum ethnicorum : ne *p. 7. scilicet Gentiles nostra audirent, eaque suis idolis offerrent, sicut Hiram rex Tyri qui Templum Hierosolymitano simile excitavit, in quo victimas legales offerebat. Sed et Iulianus gentilis diis suis preces oblationesque nostris similes concinnavit, et caeremonias idolis suis ad formam rituum sacramentorum Ecclesiae constituit.

Etiam in consecratione chrismatis tres olim duntaxat orationes recitabantur super illud. Orationes quoque uniuscuiusque chirotoniae erant *tres* et in impositione manus et in silentio, hoc est in inclinatione dicebantur super ordinandum; deinceps eas dilataverunt doctores.

Dixit etiam Iacobus Edessenus in epistula supra recitata ad Thomam presbyterum : Postquam igitur symbolum trecentorum decem et octo patrum scriptum est, aequum visum fuit illud etiam in ordine oblationis adiici ut per ipsum animae, corda, corpora cum vocibus sanctificarentur; et eo recitato, fieri orationes fidelium, clausis ianuis, tres. Paullo post, cum ritus nonnulli sollemnesque caeremoniae in ecclesia constituta fuissent, ex tribus quidem hisce fidelium orationibus voluerunt, ut prima pro mystica pacis petitione fieret, altera pro manus impositione, et tertia cum qua mensam discooperiunt, per hoc significantes portas caeli tunc aperiri. Et statim mandat diaconus, admonens ut stent recte, eo quo decet ordine, significans per hoc sacerdotem iam liturgiam mysticam inchoaturum. Illis vero cogitationes suas collectas habentibus convertitur sacerdos et dat eis pacem dicens : PAX VOBIS OMNIBUS, crucis signum super eos efformans. Respondent ei : ET CUM SPIRITU TUO.

*Patres autem hunc locum postea coordinarunt indicaruntque *p. 8. dum crux formatur dicendum esse : CARITAS DEI PATRIS, GRATIA FILII UNIGENITI ET PARTICIPATIO SPIRITUS SANCTI SIT CUM VOBIS OMNIBUS; et pro una cruce *decreverunt* ut sacerdos tres super populum

Digitized by Google

formaret. Patres Alexandrini horum loco dicunt : DOMINUS CUM OMNIBUS VOBIS, ante principium liturgiae. Postea sacerdos ad populum dicit : SURSUM SINT CORDA VESTRA ; et populus respondet : HABEMUS CORDA NOSTRA AD DOMINUM. Rursus exclamat ad eos : GRATIAS AGAMUS DOMINO; cui illi respondent : DIGNUM ET IUSTUM EST QUOD DIXISTI. Cumque per illa tria quae diximus, nimirum : per hoc quod pacem eis dederit, et quod signo crucis eos consignaverit, et quod eidem ipsi convenienter responderent; per haec praeterea duo posteriora, videlicet quod ipse eis mandatum dederit, et quod illi eidem consenserint, eiusque sententiam iustam esse pronunciaverint : cum per haec, inquam, illi cum ipso et ipse cum eis, unum Christi corpus unaque mens effecti fuerint, tunc, conversus ad Deum, sacerdos ex verbis quibus consensere, et ex sententia ipsius populi exordium sumens verba sua ad Deum Patrem dirigit, cui sacrificium corporis et sanguinis Unigeniti in propitiationem animarum fidelium offertur. Et quoniam sacerdos una cum populo iudicavit gratias agendas Deo, et dixerunt hoc dignum et iustum esse, statim incipit orationem suam sacerdos dicens : VERE DIGNUM ET IUSTUM EST NOS TE LAUDARE; et paucis quidem verbis commemorat totum divinae gratiae scopum circa hominem, et eius priorem creationem eiusque redemptionem posteriorem, et deinde dispensationem[1] quam pro nobis fecit Christus dum propter nos passus est in carne. Huc enim tota liturgia spectat, ut quae Christus pro nobis gesserit commemoremus et recitemus. Sed et precatur ut illabatur Spiritus
*p. 9. Sanctus; mox peragit commemorationes, *et sic absolvit oblationem. Post absolutionem autem oblationis et post hunc ordinem, impertit pacem populo, cruce illum signans; et statim frangit, signat, et colit mysteria, diacono Catholicam recitante. Deinde dicunt orationem : PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS. Tradiderunt, his peractis, sacerdotem iterum debere pacem populo adnunciare et orationem impositionis manus facere. Mox praeceperunt ut gratiam Trinitatis populo impertiret, ter eum cruce signans ac dicens : SIT GRATIA TRINITATIS et cetera, respondente populo : ET CUM SPIRITU TUO. His peractis tradiderunt debere sacerdotem populum contestari eumque admonere in haec verba : HAEC SANCTA CORPORIS ET SANGUINIS SANCTIS AC PURIS DANTUR, NON EIS QUI SANCTI NON SUNT; dumque haec elata voce testatur, elevat in altum

[1] Graece : *οἰκονομίαν,* scilicet Incarnationem.

Digitized by Google

sacramenta, eaque universo populo tanquam in testimonium ostendit. Populus autem illico proclamat inquiens : UNUS PATER SANCTUS et cetera. Atque ita sacramentis communicant.

Post communionem autem praeceperunt fieri confessionem et gratiarum actionem, eo quod digni facti sunt participatione corporis et sanguinis; et fieri orationem impositionis manus, atque diaconum dimittere populum ut abeant in pace. Hanc traditionem accepi a Patribus, quam et ego trado.

Necesse est autem ut disseram tibi de varietatibus liturgiae. Duo itaque ordines in hac oblationis liturgia occurrunt : alter ad oblationem et confectionem ipsorum sacramentorum pertinet, alter ad commemorationes. Et quidem qui in urbe regia aut in Graecorum provinciis commorantur, sicuti nos offerimus, sic et ipsi faciunt : primum scilicet offerunt, deinde commemorationes statim perficiunt, licet hae apud nonnullos plures sint, apud alios pauciores *et *p. 10.
magis particulares. Atque idcirco sacerdos ait : MEMENTO DOMINE EORUM QUORUM MEMINIMUS ET QUORUM NON MEMINIMUS. Initium autem ordinis commemorationum ibi est cum dicimus : ITEM OFFERIMUS TIBI HOC IDEM TREMENDUM ET INCRUENTUM SACRIFICIUM PRO SION MATRE OMNIUM ECCLESIARUM, quae est Ecclesia Hierosolymitana ex populo Israel coagmentata, quae omnium prima ab Apostolis erecta est. Patres vero Alexandrini aliter offerunt : nam prius ordinem commemorationum seu memoriarum implent, deinde subiungunt ordinem sacrae oblationis. Est etiam diversitas in hoc quod apud nos recitat populus finem ordinis commemorationum, scilicet : SICUT ERAT, ET EST, ET PERMANET IN GENERATIONEM GENERATIONUM ET IN OMNIA SECULA SECULORUM, AMEN; dum in urbe Alexandria hanc orationem ipse sacerdos terminat inquiens : SICUT ERAT et cetera. Et postea populus dicit : AMEN duntaxat.

Alia quoque intercedit varietas in compluribus ecclesiis; nam pro UNUS PATER SANCTUS; UNUS FILIUS SANCTUS, etc... nonnulli dicunt : UNUS DOMINUS, UNUS FILIUS IESUS CHRISTUS IN GLORIAM DEI PATRIS. AMEN.

Quia vero etiam de crucibus quaesisti quot fierent, intellege quae tibi dicam : tribus vicibus tradiderunt nobis Patres ut cruces super mysteria formaremus, et tribus vicibus super populum, singulis autem vicibus tres cruces, ita ut super Corpus cruces sint novem, super calicem novem et super populum novem. Loca autem in quibus cruces fiunt super mysteria sunt haec : prima vice cum hostiam panis tenemus et Deo Patri ostendimus, sicut *et ipse *p. 11.

Digitized by Google

Filius ostendit, dicentes : GRATIAS AGENS BENEDIXIT, et cetera; similiter et super calicem eadem verba recitantes. Secunda vice, post invocationem Spiritus cum dicimus : UT ILLABENS FACIAT PANEM HUNC, tres cruces facimus : similiter et super calicem cruces tres. Tertia vice cum panem frangimus et calicem signamus post finem oblationis. Cruces vero super populum fiunt prima vice cum dicimus : CARITAS DEI PATRIS; secunda vice, cum absolventes oblationem et ad frangendum nos praeparantes ad populum dicimus : FIANT MISERATIONES DEI MAGNI ET SALVATORIS et cetera; tertia vice cum totam oblationem persolvimus dicentes ad populum : SIT GRATIA SANCTAE TRINITATIS et cetera. Quod autem nonnulli per errorem faciunt, ut scilicet dum cruces super populum formant super sacramenta quoque forment, haec est causa. Cum enim sacerdos quotiescumque cruces super populum format, debeat prius seipsum cruce signare, deinde diaconos qui ad orientem mensae adstant, mox eos qui ad aquilonem, et continuo eos qui ad austrum; et postea conversus ad populum ad occidentem tres super eum cruces ducat : hinc nonnulli ex inscitia putarunt crucem illam quae versus diaconos ad orientem adstantes fit, super sacramenta formari. Item, noveris quod si undique circumassistant diaconi oportet super cunctos sacerdotem cruces facere; sin autem, ad eam duntaxat partem cruces faciat ubi adstant.

Item, noveris canones illos quos diaconi dicunt eis absentibus non opus esse qui a sacerdote recitentur. Responsiones autem quas
*p. 12. populus dicit, ut : HABEMUS AD DOMINUM, et DIGNUM *ET IUSTUM EST, et UNUS PATER SANCTUS, et aliae huiusmodi, quibus populus sacerdoti respondet, etiamsi nemo post presbyterum adsit, eas tamen a presbytero praetermittendas non esse, eo quod omnes necessariae sint, et Liturgiae pars censeantur.

Ea pro nostris viribus excerpsimus e scriptis sancti Iacobi de liturgia et eius varietatibus et qualiter eam conficiant singuli populi, et de crucibus, et posuimus ea in illustratione et explanatione quam confecturi sumus de liturgia. His autem finis esto.

## CAPUT QUARTUM.

Declarat cruces quae super mysteria formantur, earum numerum et mysticam significationem quam continent.

Revertamur ad argumentum nostrum et alia inquiramus. Cruces

Digitized by Google

igitur super corpus et sanguinem fiunt xviii, quemadmodum superius nos edocuit Mār Iacobus Edessenus. Sed et Clemens, apostolorum discipulus de eisdem plura loquitur. Docet novem esse ordines superiores, et rursum novem ordines inferiores; quemadmodum numerus crucium est xviii, ut dixit sanctus Dionysius e traditione adscensionis Pauli in caelum. Ipse enim apostolus vidit quales ordines in singulis ecclesiis essent et narravit Dionysio eius discipulo, suasitque illi ut eos describeret. Item, rursum audivit verba ineffabilia, uti dixit[1], quae manifestabant generationem aeternam Filii ex Patre, nec potuit illa, organo carnali, lingua scilicet, referre; nam quemadmodum generatio ex Virgine Maria commemoratur super altari inferiori, ita generatio ex Patre praedicatur super altari superiori non manufacto. *Idcirco dixit iterum *p. 13. idem apostolus[2] : «Ex parte cognosco», ne ei dicerent : Cur ea non intellexisti? Et quia etiam sacerdotium ab alto defluxit et ad nos venit, ideo numero crucium xviii adunat caelestes cum terrestribus et novem ordines superiores cum ordinibus novem inferioribus. Tres cruces quae primo *loco fiunt* super corpus significant Patrem volentem et Filium beneplacitum et Spiritum sanctificantem. Quae secundo loco fiunt *significant* Patrem beneplacitum, Filium per quem fit benevolentia, et Spiritum consummantem. Et quae tertio loco fiunt significant Patrem volentem, Filium ex quo benevolentia, et Spiritum perficientem[3].

Eadem tria mysteria impleta sunt in prophetia, in apostolatu, in doctrina (*doctorum opera*); et in illo[4] : «Dominus Deus noster Dominus unus est», et[5] «Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus»; et in illo[6] : «Sanctus, sanctus, sanctus», et in illo[7] : «Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi»; Altissimus, Pater; virtus eius, Filius, et Spiritus sanctus : ecce trina hypostasis.

Has tres cruces super mysteria etiam magi donis suis, quanquam inscii, obtulerunt (*celebrarunt*). Iterum: pastores, magi, stella. Stella quidem demonstrabat divinitatem eius quae est ex alto; pastores vero *demonstrabant* ipsum esse agnum Dei et pastorem Israel; magi rursum quod ex natura nostra peccatrice, excepto peccato, carnem sumpsit.

[1] II *Cor.*, xii, 4. — [2] I *Cor.*, xiii, 12. — [3] Sententiam obscuram ita vertimur ad fidem codicum; cf. tamen infra, p. 90, l. 2; et in textu, p. 80, l. 16-18. — [4] *Deut.*, vi, 4. — [5] *Ps.* lxvi, 7. — [6] Is., vi, 3. — [7] Luc., i, 35.

Digitized by Google

Haec mysteria praefigurant cruces tres quae super corpus et sanguinem fiunt.

*De crepitaculo.* — Antequam theorias in oblatione reconditas aggrediamur, de crepitaculo quod semper orationis tempore pulsatur et de eius mysteriis loqui convenit. Crepitaculum initio ora-
*p. 14. tionis et officii *divini* pulsatur, eo fine ut congreget *perfectos ad orationem, et bellatores ad praeliandum adversus inimicum. Eius ope Christiani in ecclesiam congregantur, quae est portus vitae. Pulsatur etiam crepitaculum ut, cum eius sonum audimus, intellegamus nos praeceptum per lignum transgressos, atque e paradiso eiectos fuisse. Et rursum per lignum crucis factam fuisse nobis liberationem a peccato et transgressione praecepti. Itaque cum eius sonum audimus, nos cruce obsignamus, Deumque laudamus dicentes : Sine nos laudare te, iuxta illud[1] : «Domine aperi mihi labia mea». Iterum quemadmodum tuba congregat exercitus regis, ut eum exaltent et collaudent, ita nos crepitaculum ad laudem Christi, regis nostri, colligit. Ut etiam tuba aut praeco congregat exercitus regis ut eis praemia dentur, ita et nos crepitaculum colligit ad Christum, regem nostrum, nobis daturum praemia haec : remissionem peccatorum, exauditionem precum. Sicut etiam tuba aut praeco congregat exercitus regis ad pugnam et certamen adversus inimicos, sic et crepitaculum congregat nos ad pugnam et certamen cum Satana inimico humanitatis nostrae.

Sed et sanctus Mār Iacobus Sarugensis in quodam sermone haec testificatur. Ita enim loquitur : «Ut vocem audis crepitaculi cum laetitia eam excipe, domum conventus id est orationis festinanter adi. Ea vox est qua audita Satanas contremiscit, quia castos adversus eum congregat ut praelientur. Ea vox est qua velut acies ordinantur, ut cum exercitu adversarii certamen ineant; qua daemones absconditi de consessibus suis abiguntur, a choris carnalibus (*hu-*
*p. 15. *manis*) gloriam Filii Dei concinentibus. Crepitaculi voce *contremiscit et cadit exercitus maligni, quia eius sono expostulant misericordiam a Deo. Vide ne eam odio habeas, ne sic maligni socius fias qui ab hac adversarii sui voce audienda valde abhorret». Sermonibus doctorum quid respondent adversarii crucis? et qui crepitaculum e regionibus suis proscribunt? Sed undenam didicistis crepitaculum in ecclesia pulsare? Respondemus in pluribus historiis

[1] *Ps.* L, 17.

scriptum esse : Deus Noe praecepto mandavit ut arcam fabricaret et crepitaculum etiam constitueret, quod tempore diluvii pulsaret, ut opifices ad laborandum in arcam congregarentur; meridie, ut comestione recrearentur, et vespere, ut a labore quiescerent. Rursus, dicimus crepitaculum e ligno constitutum fuisse, quia melius voce humana ad auditum currit et populum invitat ad orandum. Pariter, vox aeris magis potens et vehemens est quam hominis vox ad congregandos audientes in pugnam spiritualem.

*De Trisagio* [1]. — Nunc ad hoc veniamus ut dicamus et loquamur de Trisagio, quod in cunctis orationibus, tanquam sigillum in anulo constituitur. Cum vero in confutatione et disputatione adversus Chalcedonenses ea de re *fuse* scripserimus, aequum est etiam nunc paucis verbis de eo nos dicere. Sunt qui exposcant quare in cunctis orationibus nostris, initio et fine Trisagion recitemus. Ad quod quaesitum respondemus : e sollemnitatibus nullam Deo magis gloriosam exsistere quam *sollemnitatem* eius in carne crucifixionis. Idque certum est ex eo quod scriptum est [2] : «Nondum venerat Spiritus, quia non glorificatus erat Iesus» : gloriam crucem ejus vocat *Scriptura*. Si vero crucifixio eius gloria est, ergo convenit in orationibus et sacrificii oblatione : «Qui cruci fixus es pro nobis» cum Trisagio iungere. *Quia vero Doctores Danielem *p. 16.
audierunt de Christo dicentem [3] «Sanctum sanctorum», ipsi decreverunt ac docuerunt «Sanctus tu Deus» velut sigillum et characterem super scripta regia in omni officio dicendum esse. Angelum quoque audierunt mulieribus dicentem in Evangelio Matthaei [4] : «Scio enim quia Iesum qui cruci fixus est quaeritis. Non est hic. Surrexit enim, sicut dixit : Venite, videte locum ubi positus erat Dominus noster». Cum enim Angelum viderent proclamantem Iesum Dominum suum, atque hunc *ligno* suspensum fuisse, scilicet cruci fixum, confitentem neque erubescentem, noverunt illum esse Verbum incarnatum, in carne cruci fixum; et propterea in hymno addiderunt : «Qui cruci fixus es», ne forte qui crucifixus est alter Filius, alter Iesus et Dominus existimaretur. Inde provenit Trisagion. Alii dicunt Iosephum, *βουλευτὴν* seu consiliarium Pilati, quia in Christum crediderat, corpus Iesu petiisse, quod ubi

[1] Ad litteram : «Sanctus (es) tu, Deus». — [2] Ioh., vii, 39. — [3] Dan., ix, 24. — [4] Matth., xxviii, 5.

de ligno deposuit, dignus fuit qui videret angelos constituentes tres choros. Primus quidem *chorus* dixit : «Tu sanctus Deus», secundus vero : «Tu sanctus fortis», tandem tertius : «Tu sanctus immortalis». Ipse autem in spiritu exclamavit, dicens : «Qui cruci fixus es pro nobis, miserere nobis». Ecquis vero homines docuit ita precari? Sunt qui dicant Ignatium Igneum id edocuisse. Iuxta alios ex eo desumptum est quod dixit Isaias[1] : «Sanctus, sanctus, sanctus». Vidit enim propheta Seraphim in spiritu sanctificantes in throno illum qui cruci fixus est; et propterea doctores in hymno addiderunt : «Qui cruci fixus es». Verumtamen aiunt illi Ignatium ita conscripsisse : hunc hymnum Angeli dixerunt; cum enim Emma- *p. 17. nuelem cernerent a Iosepho et Nicodemo sepeliri, *tres ordines corpus Christi portaverunt, et dum deducebant illud in spiritu primus ordo dixit : «Tu Sanctus Deus» qui, cum sis Deus, homo factus es. Secunda turma dixit : «Tu sanctus fortis» : cum sis in natura tua fortis, propter homines corpus induisti et debilis apparuisti. Agmen vero tertium dixit : «Tu sanctus immortalis» qui, cum sis immortalis, mortalis fieri voluisti in carne, ut genus nostrum mortale vivificares. Tum Ioseph et Nicodemus addiderunt : «Qui cruci fixus es pro nobis, miserere nobis». Alii dicunt apostolos hunc hymnum edocuisse; alii scriptum in libro Iohannis Evangelistae de Virgine[2] repertum esse. Moysis Bar Kēphā sententia est id ab Ignatio Igneo provenire. Sanctus Mār Severus patriarcha, in sermone de Hymno, qui ultimus est inter sermones *ἐπιθρονίους* sive in throno *habitos*, ait, post eiectum ab ecclesia Nestorium illud : «Qui cruci fixus es pro nobis» in Trisagion introductum fuisse, neque valde antiquum esse. Forte Petrus patriarcha Antiochiae, qui ante sanctum Severum episcopatum tenuit[3], rem ita ordinavit ne ille qui cruci fixus est quarta persona videretur, et Trinitatis loco, quaternitatem confiterentur. Ipsi Chalcedonenses illud dicunt a sancto Petro in oriente introductum esse, cum in partibus occidentis et austri et aquilonis antiquum esset. Dicunt enim *p. 18. scriptores, postquam Iesus in ligno mortuus est *Iudaeos corpus concremandum cogitasse. Quod cum didicisset Ioseph Pilatum audacter adivit, cuius multis *verbis* iram inflammavit in invidiam

[1] Is., vi, 3. — [2] Forte est *liber de Transitu beatae Mariae Virginis*, de quo vide R. Duval, *Litt. syriaque*, p. 97. — [3] Petrus, cognomento Fullo, patriarcha monophysita Antiochiae (471-488). — Severus eamdem sedem occupavit (512-519).

sacerdotum populique impudentiam adversus eorum benefactorem. Cumque ab eo auctoritatem et facultatem accepisset, corpus Iesu deposuit et aromatibus condivit ac sepelivit, praeter Iudaeorum voluntatem.

Atque ad Filium solum hymnus evehitur, non vero ad tres personas, ut Chalcedonenses opinantur. Sin aliter, inveniatur ille qui cruci fixus est persona quarta. Nunc vero, nobis ostendite quis sit ille quem Isaias super thronum vidit, quem Seraphim sanctificabant? Si dicitis illum Patrem esse, velut Iudaei, tres ergo sanctificationes ad Patrem ascendunt. Potius discite a Iohanne Evangelista quomodo scripsit Filium fuisse quem Isaias super sedem vidit, eumque Seraphim sanctificabant. Ita enim ait [1] : «Haec quippe locutus est Isaias de eo, quando gloriam eius vidit.» Sed et sanctus Cyrillus [2] cum Isaiae visionem explicat, evangelistae adhaerens, de Filio visionem interpretatur, quem Seraphim sanctificabant, eo quod carnem esset suscepturus. Nos etiam illi dicimus : «Tu sanctus Deus»; quia licet egenus factus sit quando factus est homo, cum dives esset, non mutatus est, sed homo factus, ostendit se Deum esse. Per hoc vero : «Tu sanctus fortis», intellegimus Verbum pro nobis incarnatum esse et debilem apparuisse, fortem vero in duobus perstitisse : eo quod impassibilis permansit, eo quoque quod inimicum devicit. Per hoc etiam : «Tu sanctus immortalis», Verbum laudamus quod in carne cum morte coniunctum, immortale tamen permansit, tanquam Deus. Et per illud : «Qui cruci fixus es pro nobis», gratias ei rependimus quod ad crucem usque et mortem in carne propter nos processerit, nostri misertus fuerit, nosque redemerit.

## CAPUT QUINTUM.

**De lectionibus librorum.* — Modo vero, de lectionibus etiam *p. 19.
loquamur veteris et novi *Testamenti* quae sacri tempore leguntur. Scripturae quippe leguntur ut spiritualem cibum animae admoveant : sicut panis et aqua corpus nutriunt; et praeterea eo quod doctrina vitae Scripturis insit, et adnunciatio regni caelorum. Testamentum Vetus prius legitur, ut testificetur Novum verum esse. Novum postea legitur, ut illud novum testificetur quidquid antiquum dixit adimpletum esse.

[1] Ioh., xii, 41. — [2] Migne, *Patr. Graec.*, t. LXX, col. 172 sqq.

Rursus quare *prius* leguntur prophetae, et postea novum *Testamentum*[1], et denique Evangelium? Respondemus : Sicut rex qui vult locum ingredi, legatos sibi praemittit qui famam adventus eius adnuncient, ita prophetae ante Evangelium leguntur. Post prophetas leguntur *ϖραξεῖς*, id est Actus Apostolorum, eorum quippe, qui fuerunt *testes* oculati et ministri Verbi Dei. Etenim prophetae seminaverunt, et Apostoli messuerunt, et ex eodem manipulo animas nutriverunt. Denique liber Pauli legitur, quia ultimus edoctus est; et statim prae Apostolis in praedicatione excelluit : «Plus quam illi laboravi[2]». In fine legitur Evangelium, quia post adscensionem Evangelistae illud exscripserunt.

Post lectionem Evangelii egrediuntur et circumeunt processionis modo, in orbem videlicet, per ecclesiam. Praeeunt lumina in processione : mysterium prophetarum et Iohannis Baptistae, qui velut stellae ante solem iustitiae praeluxerunt.

*p. 20. *De processione et circuitu in ecclesia.* — Diaconi et sacerdotes procedunt, psallentes et laudantes : mysterium discipulorum et Apostolorum duodecim, qui egressi sunt et coram Christo praedicaverunt, et fructum vitae, Dominum nostrum, circumdabant. Habent incensa : mysterium Apostolorum, quorum suavis fragrantia peccati foetidum odorem a quattuor *Terrae* partibus abegit. Flabella Seraphim repraesentant, qui Filio in eius oeconomia et tentationis tempore, et in passione et in resurrectione ministraverunt. Postea crux advenit, quia cum oeconomiam Christus adimpleverit, super crucem elevatus est omniaque ad se traxit.

Processio, sive circuitus in ecclesia, mysterium est oeconomiae Christi in mundo. A septentrione in processionem egrediuntur, quia est *regio* altior : mysterium Excelsi, qui se demisit, atque ad occidentem contemptibilitatis nostrae et ad australem *regionem* inferiorem humanitatis nostrae devenit.

*De lectione Evangelii et mysteriis eius.* — Evangelium modo post processionem legitur. Cumque proximum est ut legatur, cornua et tubae sonant ante regem, quemadmodum «alleluia» *hulala*, laudatio, quod ante Evangelium Christi dicitur. Duo lumina coram Evangelio discipulos figurant, quos binos ante se praemisit. Rursum, lumina in tota ecclesia *accensa* figurant lampades animarum

[1] I. e. : plerumque Epistulae, et aliquando Actus aut Apocalypsis. — [2] I *Cor.*, xv, 10.

nostrarum. Extemplo dicit diaconus : Cum silentio et tremore et cetera ; id est : ante evangelium silete et audite. Populum urget ad tria : ut stent convenienter, ut sileant, nec loquantur, ut ea quae leguntur cum attentione auscultent, nec cogitatio eorum circumvagetur. Postea dicit sacerdos : « Pax vobis omnibus » quo significat : quam lego adnunciatio pacis Christi est, qui terrenos caelestibus *et popu- *p. 21.
lum gentibus reconciliavit, juxta illud quod angelus pastoribus ait[1] : « Ecce adnuncio vobis gaudium » ; et[2] : « Quam speciosi pedes adnunciantium pacem ». Nam evangelium « adnunciatio » redditur, evangelista « adnuncians ».

Statim post Evangelium dicit diaconus proclamationem, populum incitans ut deprecationem Verbo Deo offerat, qui pro nobis oeconomiam adimplevit. Veteres post litaniam et proclamationem antiphonas *seu responsoria* mysteriorum incipiebant, et sacerdotes discos seu patenam et calicem sanguinis gestabant, atque in processionem circumibant.

Oportet autem nosse quaecumque diaconus dicit sacrificii tempore ad populum spectare eique imperari ; quae vero dicit sacerdos ad Patrem plerumque respicere.

*De quinque ordinibus qui tempore mysteriorum ex ecclesia egrediebantur.* — Postea dicit diaconus : abite qui dimissi estis. Et qui sunt qui egrediuntur ex ecclesia hoc tempore? Dicimus : antiquis temporibus quinque ordines egrediebantur ex ecclesia. Cum enim diceret diaconus : abite qui dimissi estis, catechumeni, et energumeni et energumeni *alii*, et paenitentes maiores, et paenitentes minores discedebant. Catechumeni erant qui nondum fuerant baptizati, sed certum tempus ante baptismum eos docebant. Energumeni erant qui a daemonibus vexabantur. Alii energumeni erant qui turpibus peccati passionibus opprimebantur. Duo autem isti ordines energumenorum postquam baptizati sunt *ac mysteriorum participes facti sunt *a *p. 22.
*daemone* oppressi sunt. Paenitentes maiores longo iam a tempore paenitentiam inceperant, atque ad illius finem continuo perveniebant ; minores vero paenitentes post baptismum et mysteriorum sanctorum participationem *paenitentiam agebant.* In ecclesia sinebant eos lectionem librorum sacrorum audire, ut per verba viventia quae auscultabant mundarentur. Post Scripturarum lectionem qua mundabantur, eos *diaconus* expellebat, unaquaque voce unum

[1] Luc., II, 10. — [2] *Rom.*, X, 15.

Digitized by Google

duosve e quinque his ordinibus dimittens. Dicendo : ABITE QUI DIMISSI ESTIS, non vero : «qui dimissi sumus» communiter eos quinque ordines alloquebatur quos dimissurus erat singulos peculiari verbo. Dicendo : NE QUIS EX CATECHUMENIS, eos dimittebat qui nondum erant baptizati; dicendo autem : NE QUIS EX ENERGUMENIS, eos expellebat qui a daemonibus aut foedis passionibus vexabantur; dicendo vero : NE QUIS SUPPLICANTIUM NOBISCUM INVENIATUR, ambos paenitentium ordines dimittebat. Ultimo vero loco dicens : COGNOSCITE ALTERUTRUM, urgendo incitat : «ne ullus e quinque illis ordinibus inter vos permaneat, quia digni non sunt qui ad occultorum mysteriorum visionem et participationem remaneant.» Cum etiam dicit diaconus : PORTAS CLAUDITE, ET DECENTER STATE, diaconos socios iubet ad portas invigilare, ne quis ex illis quinque ordinibus introeat, quia ad ianuas foris stabant. Per illud : STATE DECENTER, populo praecipit ut ad divina mysteria statum decentem habeant.

Quare autem quinque illos ordines foras mittebant, nec mysteriorum participes faciebant? Dicimus : Catechumenos dimittebant, *p. 23. quia nondum *baptizati erant; qui autem baptizatus non est, neque in baptismate veniam peccatorum accepit et sanctificatus est mysteria participare non decebat; non enim aequum est ut immundus purum contrectet. Qui autem a daemonibus vexantur, quare vexentur, solus Deus novit. Viri quidem adulti vexantur, primo sive propter sua peccata iuxta illud[1] : «Tradidi eos Satanae, ut exerceantur, ut non sint qui blasphement». Secundo, sive propter suam debilitatem et neglegentiam. Tertio, vel quia cum essent daemonibus oboedientes, eis rebelles facti, ipsos dereliquerunt et ab eis vexantur prout sancto Cypriano per breve tempus accidit. Pueri vero vexantur, sive propter parentum peccata, sive quia praevidente Deo quid ab eis faciendum esset sanitatem *remedium* eis praeparaverit ante morbum; et cetera. Hos quidem vexatos ex ecclesia dimittebant, primo, ne mysteria contumeliis blasphemiisque a daemonibus despicerentur; deinde, quia cum rex Christus ipsis irascatur, nihil e mysteriis regni eis datur; rursum, quia non decet Spiritum sanctum et spiritum immundum una commorari. Duos autem paenitentium ordines ex ecclesia dimittebant, quia post mysteriorum participationem peccaverant, servorum exemplo, qui erga regem, dono ab eo accepto, inique egerunt, et abeuntes illud

[1] I Tim., I, 20.

eius inimicis dederunt; quod cum rescivisset dono suo eos privavit.

*De ecclesia.* — Haec nostra ecclesia visibilis ecclesiam figurat, quae est in caelis, et congregationes supernorum animarumque sanctorum. Et per illud altare *figuratur* nostra perfecta restauratio * post resurrectionem qua ab illo omnium sanctificatore sanc- *p. 24. tificabimur. Per sacrificium *indicat* nos perfecte accessuros atque rationabiles hostias oblaturos cum ad beatam consummationem pervenerimus. Per sacerdotem : mentes sacerdotales perfectorum quae in futuro saeculo a *Deo* omnium consecratore consecrabuntur.

## CAPUT SEXTUM.

*De numero oblationis hostiarum.* — Nunc de aliis loquamur. Unam quidem hostiam, sive unum *panem* signatum, offert is qui sacrificat, ut Verbum quod caro factum est unum esse significet. Rursus duos *panes* signatos altari admovens, docet quidem ex divinitate atque humanitate unum Filium et Christum nos agnoscere. Tres vero, seu numero impari aut non pari quotcumque voluerit admovens, significat Trinitatis naturam unam, tres vero hypostases esse; et Filium Spiritumque tanquam effectus respectu Patris qui causa est se habere; quemadmodum ignis est causa, lumen vero et calor effectus. Ignis enim non ex lumine procedit, bene vero lumen et calor ex igne. Rursum de *panibus* consignatis qui oblati sunt non oportet quidquam minui. Si vero adhuc expanditur anaphora et necessarium est additamentum, *alios panes* offerre licet, modo sint ordine impares, ut diximus, et numero impari non vero pari seu aequali, nisi tamen sint duo. Quemadmodum Christus quamdiu in sepulcro fuit, ad cuius portam lapis *positus erat*, ei dies primus et secundus et tertius computati sunt; postquam vero surrexit * et *p. 25. amotus est lapis, dies ei non amplius computati sunt; ita quamdiu expanditur *super vasa* anaphora quae lapidem figurat hostiae convenienter adduntur; at postquam anaphora amota est, panes *signatos* addere non decet.

Particula quae in patena est, ponitur in principio a sinistra sacerdotis extra tabulam *altaris;* calix vero a dextra, ad alterum latus, sub tabulam. Calix qui in principio collocatur ad dextram sacerdotis significat iecur, maternam *originem* sanguinis, quod in latere dextro constituitur.



Digitized by Google

*De impositione panis et vini super altare.* — Quod autem postea sacerdos colligat et reponat *super altare* corpus *panem* a parte occidentali et calicem a parte orientali, id significat Dominum nostrum humile corpus induisse, et genus nostrum in sinistris operibus iacentem a quattuor *mundi* partibus congregasse, atque eum qui sedet super orientem, ad occasum humilitatis nostrae revelatum esse. Rursus sanguis ante corpus ponitur, sicut occisi sanguis ante ipsum *occisum* effunditur [1].

Egrediuntur mysteria ab altari, et in processionem, videlicet in circuitum, per sanctuarium efferuntur ante initium sacrificii, quemadmodum supra exscripsimus. Sacerdotes decenti ordine mysteria gestant in circuitu, ac deinde ad altare revertuntur. Hoc significat Verbum Deum in mundum descendisse, atque hominem factum esse, et per Iudaeam circuivisse, et oeconomiam propter nos adimplevisse; postea in crucem adscendisse, et de cruce ad Patrem.

*De altari.* — Sed quidam inquirunt altare quid significet. Sanctus Dionysius Atheniensis ait altare Emmanuelem significare qui est arbor vitae. Alii dicunt altare loco crucis esse, super quam Dominus qui est hostia immolatus et oblatus est. Nominis vero altaris derivatio sive interpretatio ab immolando procedit, quemad-
*p. 26. modum arae nomen *ab elevando sive quod sursum efferatur. Mār Ioannes ait altare loco sepulcri Christi esse, et Moyses episcopus Ioanni adsentitur dicens : « Novimus itaque Christum altare nuncupari; nuncupatur etiam arbor vitae; item vocatur crux et cetera. Si autem hic altare Emmanuelem repraesentat, cum corpus et sanguis persona Emmanuelis sint, porro duos Emmanueles hic invenimus; si vero altare crucem designat, ut alii dicunt, cum nos eius corpus et sanguinem super illud sacrificemus, ergo commemorationem crucifixionis et immolationis eius facimus et velut crucifixores exstamus. *Atqui* « semel immolatus est », ait Paulus [2]. Ergo altare pro sepulcro et loco sepulcri est, ut dicunt sanctus Ioannes et Moyses Bar Kēphā, in quo positus est Dominus noster, quando sepultus fuit. Idcirco, cum oblongum altare exstruimus, a parte septentrionali in australem decet illud disponere, in similitudinem sepulcri illius in quo, iuxta hebraicam consuetudinem, Dominus noster positus est. Mystice etiam per altare visibile intellegimus invisibile illud altare, et per sacerdotem adstantem magnum illum

[1] Cf. infra, p. 96, n. 2. — [2] *Hebr.*, IX, 28.

Digitized by Google

summum sacerdotem; et per sacrificium quod adimpletur, illum qui pro nobis sacrificium factus est. Quid autem significant panis et vinum super altare? Dicimus panem corpus Verbi Dei, vinum autem sanguinem eius esse.

*De fermentato.* — Quare vero cum pane fermentato sacrificamus, non vero in azymo sicut Armeni, rudes intellectu, faciunt? Dicimus quidem panis nomen a fermentato seu animato desumptum esse; azymi vero nomen, qui est aqua et farina tantum, a mortalitate. *Scriptura vero quotiescumque panem adpellat, illud in *p. 27. quo fermentum est, non vero azymum indicat. Moyses loco panis, azymis in sacrificiis suis usus est, quia in figura ministrabat. Christus vero non dixit[1]: « Ego sum azymus qui de caelo descendi », sed: « panis vitae ». Paulus quoque[2] corpus panem, non azymum, adpellat. « Simile est regnum caelorum fermento quod mulier sumpsit et abscondit in tribus satis[3]. » Fermentum quidem est Verbum *Dei* quod seipsum depsuit in tribus tribubus filiorum Noe, atque eas vera fide fermentavit. Etiam Moyses in festo Pentecostes panem fermentatum offerebat. « Duae placentae et fermentatum coquantur[4]. »

Panis igitur mysteriorum constat farina, significanti elementum telluris, et aqua significanti elementum aquae, et fermento significanti aerem, et sale significanti ignem. Ecce quattuor elementa e quibus panis sive corpus subsistit. Oleum autem olivae significat animam quam sibi Dominus noster univit. Rursus fermentum Christum figurat et fidem et animam. De his vero cum in libro disputationis adversus haereses quae hodie obtinent fuse locuti simus, hic pauca de pane et vino tradimus.

*De vino miscendo.* — Cur calicem vino et aqua miscemus, non autem vino solummodo *implemus?* Dicimus : quia sanguis et aqua de latere Domini nostri fluxerunt, quando lancea in cruce apertum est, non vero solus sanguis. Sed Armeni dicunt aquam fluxisse, et Adamum ibi sepultum baptizasse. Adversus eos vero dicimus : si aqua ad Adamum descendit, ergo et sanguis. Sanguine vero et aqua baptisma nullatenus perficitur, bene vero igne et spiritu. Si autem aqua sola ad Adamum descendit, *quis vobis demonstrabit illum *p. 28. sanguinem supra remansisse? Verum nos dicimus : ut Verbum cum

[1] Ioh., vi, 48. — [2] I *Cor.*, x, 16, 17; xi, 23, etc. — [3] Matth., xiii, 33; Luc., xiii, 21. — [4] *Levit.*, xxiii, 17.



Digitized by Google

in carne natum est, nos spiritualiter genuit, ita, cum baptizatum est, nos baptizavit et Adamum simul; et quando resurrexit, Adamum etiam suscitavit. Porro si quando baptisma *suscepit* in carne eum *Adamum* baptizavit et in cruce denuo, ergo bis baptizatus est Adamus : quod vero adversatur.

*De sacerdote sacrificante.* — Quidam percontantur cuius figuram sacerdos in sacrificio gerat. Respondemus Sacerdotem loco Christi esse. Sicut *Christus* suum ipse corpus in cenaculo fregit coram genitore suo, et discipulis suis divisit, ita Sacerdos dicit : HOC EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS, et reliqua. Secundo Sacerdos lingua est in capite corporis universi populi, Deumque pro universa ecclesia deprecatur. Rursus pictor est qui spiritualia in mysteriis delineat. Rursus mediator est inter Deum et homines. Quamobrem post evangelium, cum dicit diaconus : CORAM MYSTERIIS ILLIS et cetera, et sacerdos ad *hymnum* sedrae incipiendum et aromata fumiganda paratur diaconus solet dicere : BENEDIC, DOMINE. Ait vero Moyses Bar Kēphā non decere sacerdotem ipsum pronunciare : BENEDIC, DOMINE; primo quia BENEDIC DOMINE a diacono *iam* dictum est; secundo quia cum diaconus ait : BENEDIC DOMINE a sacerdote postulat ut benedicat et oret; si autem sacerdos iterum diceret : BENEDIC DOMINE videretur a diacono *benedictionem* postulare.

*De hymno* SEDRA, *deque turibulo et incenso.* — Postea dicit sacerdos *hymnum* sedrā introitus. Est autem sedrā velut edictum quod scribit secundus post regem qui est sacerdos. Turibulum autem est figura Iohannis Baptistae; rursum turibulum est cor
*p. 29. rectum in quo non est declinatio *a Deo; quod testatur turibulum Aharonis, qui cum a Deo non declinasset, stragem a populo cohibuit. Iterum turibulum figura Emmanuelis est. Egreditur enim turibulum ab altari quod mystice significat Emmanuelem. Totum autem sanctuarium circumlustrat et consensum beneplacitumque fidelium secum adsumit; reversusque eorum consensum ad Sanctum Sanctorum extollit, quod etiam figurat. Turibulum quoque Virginem designat, et ignis Verbum Deum, quia ignem divinitatis in utero portabat. Fumus aromatum quae sunt in turibulo, qui ex altari egreditur et circumvolvitur, sanctae Trinitatis beatitudinem figurat, quae licet de sanctis omnibus provideat, extra stabilitatem suam non fit neque mutatur nec minuitur. Aromata sacrificia mentium nostrarum significant. Rursus fumus indicat Deum Verbum quod e caelo descendit et odor suavis ac fumus reconciliationis

Digitized by Google

effectum est, et se ipsum Deo Patri pro nobis obtulit, atque universum mundum expiavit gratumque reddidit, et ad Patrem suum reversum est; immutatum quidem et eius divinitate non amissa. Fides quam dicunt fideles post sedrā est eorum consensus : videlicet : CREDIMUS IN UNUM DEUM. Hunc consensum diaconus suscipit, et ad Filium et Regem qui modo immolabitur extollit. Rursus turibulum quod in sanctum sanctorum intrat atque ad populum egreditur et revertitur, mysterium Christi figurat qui ingressus est, divitias eximias e domo Patris ad nos detulit, et advenit, seipsum obtulit sacrificium pro nobis, et adsensum nostrum desumpsit, reversusque caelestes cum terrenis reconciliavit. Iterum, turibulum quod in Sanctum sanctorum ingreditur, et ad populum egreditur et iterum revertitur, significat Christum qui, postquam immolatus est, Patrem suum placavit, *dein mundum expiavit, statimque ad Patrem reversus *p. 30. est. Rursus turibulum est Christus qui pro nobis turibulum reconciliationis est factus quando suscitatus est, et dona hominibus divisit, quando ad Patrem elevatus est. Sanctus Severus ait aromata seu fumum typum esse orationis mundae et suaveolentis. Iacobus Edessenus dicit aromata non ad Deum offerri sed propter populum *comburi* ut suavem odorem ab eis percipiat. Id vero quanquam litterali *sensu vir* sanctus scripsit, nec mysterium in eis reconditum praedicavit, Doctoribus tamen in eo minime adversatur sed monachos et coenobitas avertit ab hoc faciendo, ne eorum nares odorum voluptatibus dissolvantur.

Iterum dicimus diaconum esse legatum, sacerdotem vero praefectum domus; turibulum epistulam a sacerdote scriptam; aromata vero et cruces super aromata sunt signum sigillumque anuli. Rursus per crucem significat se probare quidquid scriptum est. Decet itaque diaconum, cum turibulum accipit, ad altare introire, et turibulum in medio mensae vitae, quae figura Patris est, praebere tribus vicibus; deinde ad septentrionem, videlicet ad cornu altaris seu mensae transire, et tribus vicibus dare *incensum* quia typus est Filii. Ad partem australem postea transit sive ad alterum mensae cornu, et ter turibulum praebet, quod Spiritum Sanctum figurat. Tum ad episcopum aut ad sacerdotem venit eique turibulum praebet *eum incensat*. Diaconus quidem caput flectit, inclinatur et dicit : « Legi quaecumque scripsisti coram rege et sigillum accepi. » Exinde diaconus ad populum vertitur *cui dat turibulum; hi vero caput *p. 31. inclinant et aiunt : « Adsentimur ». Tum ad sacerdotem eodem modo

Digitized by Google

atque antea revertitur, et dicit : «Epistulam tuam coram populo legi et adsentiunt.» Deinde sacerdos diacono dicit : «Revertere ad Deum et redde ei praeparationem voluntatis et adsensum omnium nostrum[1].»

## CAPUT SEPTIMUM.

*De pane mysteriorum et eius significationibus.* — In capite quod tractamus ad alia eiusdem συντάξεως sive dispositionis venimus. Apostoli quidem, sicut in canonibus scriptum est[2], ordinarunt panem sacrificii ipsa die qua coctum fuerit altari admovendum esse, non vero die sequenti, quod non licet. Inquirunt vero quidam: quare panis mysteriorum recens coqui debeat. Nos autem dicimus: quia etiam per singulos dies manna recens in cibum adsumebatur; quod autem supererat die sequenti vitiabatur. Rursus panis recens *coctus* cottidie adsumitur, quasi novi simus in operibus nostris et peccati vetustatem a nobis removeamus.

*p. 32. Quare vero semel in die *super mensam sive altare, offertur? Dicimus : quia altare sepulcrum figurat; Christus autem semel non pluribus vicibus in carne sepultus est : ideo semel in die convenit nos super altare offerre.

Quare autem ieiunamus priusquam mysteria sumamus? Dicimus: quia propter gulam et cibum ab arbore vitae cecidimus, per ieiunium gulam superamus; posteaque fructum vitae accipimus, videlicet corpus Christi.

Panis et vinum super altare imponuntur et cooperiuntur anaphora id est velo ante sacrificium, quemadmodum Filius in praesepe positus est quando natus est, et pannis involutus est.

*De tabula.* — Tabula idem est ac altare, et tabula vocatur quia quadrata est; e ligno plerumque constituitur eo quod Salvator

[1] Hic addunt A B hanc pericopen a textu primigenio sane alienam : «Et Iohannes monachus, qui cognominatur Bar Ganawai, ex Tagrit civitate, dicit : Cur plurimi e Syris et Armenis et Melchitis et Francis utuntur turibulo aereo. Dicimus : nomen aeris (*syriace :* NḤŠA) Christum (*syriace :* MŠIḤA) significat. Ita computa : ter centum et sexaginta, uno detracto. M et I respondent N; Š respondet Š, A respondet A et Ḥ respondet Ḥ, et ita nomen aeris respondet nomini Christi. Propterea Christus vocatur turibulum placationis. Haec est interpretatio materialis». Brevius et clarius : litterae nominis syriaci «Christus» et litterae nominis «aes», si iuxta valorem numericum accipientur numerum 359 in summam efformant. —
[2] Vide can. XXVII iuxta syr. recensionem (Mai, *Nov. Coll.*, t. X, p. 4).

Digitized by Google

noster lignum et arbor vitae adpellatus est. Huic *tabulae* scutellae calicesque aurei argentei plumbei vitrei imponuntur. Hanc vero e ligno incorruptibili decet exstrui.

*De fide CCCXVIII Patrum et eius breviori explicatione.* — Post sedrā introitus, incipit sacerdos dicens : CREDIMUS IN UNUM DEUM. Porro scire convenit a diebus apostolorum usque ad Constantinum imperatorem post incensum et sedrā nihil dictum fuisse, sed sacrificium statim a sacerdote inceptum esse. At synodus CCCXVIII *Patrum* quae eam fidem constituit, iussit eam ante sacrificii introitum dici, et a fidelibus recitari; primum ut recte credere et confiteri scirent : secundo ut nossent unam fidem eorum esse, et sanctificarent mentibus *et cordibus et oribus suis. Decet autem eum qui sacrificat incipere, quia lingua est corporis universae ecclesiae. . *p. 33.

Posuit synodus : CREDO, non vero : « credimus »; quia non est oratio neque supplicatio qua nos orare et deprecari oporteat mutuo alii pro aliis et cum aliis; verum fides est; et alios pro aliis credere aut confiteri neque iubemur neque aequum est; sed unusquisque pro seipso profiteri debet. Unde : « Credo » unumquemque dicere oportet, tanquam pro seipso. Alii dicunt : singulos fideles oportet dicere : « Credo »; episcopum autem aut sacerdotem qui est caput populi et lingua corporis ecclesiae dicere decet : « credimus », cum universi gregis personam gerat.

Porro in quinque capita fides illa dividitur. Primum quidem *est* Theologia, id est sermo de divinitate; secundum, *de* incarnatione; tertium, de baptismate; quartum, de resurrectione generali; quintum, de iudicio futuro. Totam fidem Nicaeni Patres non exscripserunt, verum ea quae hic consignamus. « Credo in unum Deum; Patrem et omnipotentem; factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, unigenitum a Patre, id est e substantia Patris; Deum de Dèo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, nempe quae sunt in caelo et quae sunt super terram; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit; et incarnatus est; et homo factus est; et passus est; et resurrexit tertia die, et ascendit in caelum; et venturus est iudicare vivos et mortuos. Et in unum Spiritum* Sanctum. » Haec Nicaeni Patres scripserunt. Postea alia introduxerunt Patres Constantinopolitani CL; quando adversus Macedo- *p. 34.

Digitized by Google

nium congregati sunt, cetera addiderunt promulgantes Spiritum Sanctum Dominum Deum esse. Fidem virtute Spiritus ordinaverunt, quam deinde definiverunt. Sed fidem illam decet breviter explicare.

CREDO IN UNUM DEUM, quo gentilium polytheismum refellerunt et adfirmarunt illud Moysis[1] : «Dominus Deus tuus Deus unus est.» — PATREM ET OMNIPOTENTEM, Patrem adpellaverunt ut una cum eo introduceretur indicatio Filii qui ex eo genitus est, quo repulerunt Iudaeorum *μοναρχίαν* quae divinitatem in unicam personam contrahit. Per hoc vero «Omnipotentem» eiecerunt principium malum et tenebricosum Manetis, quod cum nihil prorsus sit neque unquam exstiterit, eius *Manetis* discipuli essentiam et personam ei dederunt, quasi ex eo mala procedant. — FACTOREM CAELI, et cetera. His ad nihilum redegerunt sophistas inanes qui dicunt materias et formas primas ingenitas esse. Adversus eos exstiterunt, et ostenderunt Deum factorem unicum esse omnium visibilium et invisibilium.

ET IN UNUM DOMINUM, IESUM CHRISTUM, FILIUM. His *verbis* refellerunt et compescuerunt doctrinam futuram eorum qui naturas et hypostases dividunt, ut sunt Nestoriani et Chalcedonenses; incarnationis etiam nomina Doctores ad eius aeternitatem transtulerunt. Haec enim «Christus» et «Iesus» e dispensatione in carne rationem ducunt. Theologus similiter docuit : quemadmodum coniunctae sunt naturae, ita et adpellationes nominaque. Ait enim in epistula ad
*p. 35. Cledonium[2] : «Quemadmodum naturae commixtae sunt, *ita et adpellationes.» Ita docet unione naturarum adpellationes seu nomina simul unita fuisse; neque enim numerantur naturae et cum eis nomina de formis praedicantur, uti opinantur Chalcedonenses.

GENITUM, NON FACTUM. Hic rursus commemoraverunt Filium esse connaturalem Patri, et aversi sunt a confusione iudaica Sabellii, qui ait unam esse personam *in Deo* sicut Iudaei et Arabes. Quomodo enim una persona sit genitus et genitor? Sed manifestum est genitum a genitore generari. Per hoc vero «non factum» Arium mutum reddiderunt qui creaturam et factum esse Filium dicebat; et docuerunt Deum verum de Deo vero natum esse, sine passione aut divisione, sicut radius *fit* de lumine. — PER QUEM OMNIA FACTA SUNT. Docuerunt creaturas etiam per eum creatas esse, quia Dei virtus et sapientia

[1] *Deut.*, VI, 4. — [2] *Patr. Gr.*, t. XXXVII, col. 181.

Digitized by Google

est; sed in eo naturas et hypostases et nomina duplicia aut simplicia non distinxerunt.

Propter nos homines et propter nostram salutem descendit. Videte et intellegite quomodo docuerint: nempe lumen de lumine et Deus de Deo cum vidisset nos regiam imaginem peccato obscurasse et corrupisse, inclinavit caelos et descendit, paterno sinu non derelicto. — Et incorporatus est de spiritu sancto et de Maria. De Virgine incarnatus est, seu se univit carni Verbum Deus et homo factus est, sine ulla mutatione aut φαντασίᾳ et mortem in carne pro salute nostra sustulit. Et per hoc incorporatus est, ostenderunt *Patres* eum *corpus e nobis adsumpsisse, et compescuerunt docetas, qui φαντασίαν et umbram autumant *corpus Christi esse;* eos etiam qui dicunt Verbum sibi corpus e caelo detulisse, sicut deliravit Valentinus. Et per incarnatus est os occluserunt eis qui dicunt Verbum per Virginem transiisse quasi per canalem, carnem ex ea non adsumens, ut Eutyches excogitavit. Per hoc etiam quod scripserunt: homo factus est, Apollinarium detruserunt, qui dicebat Filium non animam sed carnem tantum adsumpsisse. Per hoc vero quod de spiritu incorporatus est, ostenderunt Spiritum Sanctum corpus in utero formasse, idque statim sibi Verbum univisse. Pater enim Filium voluit incarnari; Spiritusque et Verbum corpus illud formaverunt, et statim ut caro *formata est*, statim exstitit caro animata Dei Verbi. Id etiam dicimus : In scripto et exemplari quod romana et graeca lingua recitatur, scriptum est : « Incarnatus est et homo factus est. » Verumtamen hodie, quia prodiit haeresis eorum qui dicunt Dominum nostrum carnem tantum adsumpsisse, etiam ea quae dicit eum e caelo corpus sibi detulisse, necnon haeresis Manetis et Eutychetis qui phantasticum *Christi corpus* esse excogitavit, propterea hodie sine disceptatione dicimus : « incarnatus est, et incorporatus est, et homo factus est. » Etiam « incorporatus est » pro « incarnatus est » dicimus, propter Iulianum phantasiastam, siquidem eius horrendae doctrinae apud Armenos hucusque reliquiae remanserunt. Ille enim non praedicabat Christum corpus nostri simile, excepto peccato adsumpsisse, sed corpus aliud; qua de re apologiam completam fecimus in disputatione adversus Chalcedonenses. — Et homo factus est. Non adsumpsit hominem, ut dicit Nestorius, sed homo factus est, sine mutatione. Et per illud « homo » Apollinarium confutarunt qui ait *eum carnem tantum sine anima sumpsisse; Dyophysitas etiam compescuerunt, qui Ver-

*p. 36. *p. 37.

bum a carne eius animata separant, et in eo post unionem naturas numerant; at eumdem ipsum vocaverunt Deum in eo quod est, eumdemque hominem in eo quod factus est.

Crucifixus et passus. Confundantur Nestoriani et cum eis Melchitae. Quem enim Patres vocaverunt Deum de Deo, Unigenitum, ex Patre natum, qui descendit, ecce eumdem dixerunt crucifixum in carne, neque in eo formas et naturas, et operationes et voluntates distinxerunt. — Diebus Pontii Pilati. Tempus regis pagani signaverunt in cuius diebus crucifixio patrata est, ut res a cunctis populis fidem obtineret. — Et sepultus est, et resurrexit tertia die. Sicut Lucas scripsit[1] : «Ecce tertia dies ex quo haec fuerunt» : parasceve et sabbatum et prima sabbati, quo Cleophas et Lucas Emmaum progrediebantur atque haec in via enarrabant. Quod vero tres dies sint, mystice significat unam e tribus personis in dispensatione sua in carne haec effecisse. — Et ascendit in caelum corporaliter, cum divinitus a Patre non recesserit, et ubique existat. — Et sedet a dextera. Dextera honorem indicat. Pater enim corporalis non est, ut dexteram et sinistram habeat, sed dexteram vocat aequalitatem honoris aequalitatemque sedis et gloriae et regni cum eius Patre.

Et venturus est in gloria iudicare vivos. Vivos illos qui in eius adventu superstites erunt, et mortuos qui prius mortui fuerint. Vivos etiam vocat eos qui pulchre in operibus vixerunt; mortuos autem eos qui in peccatis mortui sunt. «Vivos» quoque adpellant animam quae non moritur, et «mortuos» corpus : quae ambo aequa-
*p. 38. liter iudicabuntur. — Cuius regni. Non enim* homo est vulgaris et solubilis, cuius regnum dissolvatur, verum Deus est incarnatus. Propter hoc regnum eius perpetuum est. Hic vero super fideles qui eius praecepta servant tantum regnat; in illo mundo regnum eius confirmabitur, etiam super infideles qui regnum eius et eius dominationem confitebuntur suppliciis cum nihil proficient.

Et in unum Spiritum sanctum. Unum Patrem dixerunt, et unum Filium dixerunt, unum quoque Spiritum; non autem unum et duo et tres scripserunt sed unum et unum et unum. Si autem Filius in duabus naturis est quia incarnatus est, ergo non est unus quemadmodum Patres docuerunt. Sed tempus non adest ut perversos «divisores» redarguamus. — In unum Spiritum sanctum. Hucusque venerunt

[1] Luc., xxiv, 21.

Digitized by Google

CCCXVIII Patres in fide. Alia dein in eadem scripserunt adversus Arii sectatores, quemadmodum : «Eos qui dicunt erat quando non erat, et antequam nasceretur non erat», et reliqua. Sed Patres CL Constantinopoli congregati, videntes impium Macedonium contra Spiritum pugnantem, facientemque eum creaturam, e sede Urbis regiae eum expulerunt, et quae sequuntur in fide addiderunt. — Qui est dominus, nempe : Spiritus ille non est creatura, ut Macedonio placuit, sed Dominus et creator, vitam praebens omnibus. — Qui ex patre procedit. Spiritus ex Patre procedit sicut ex igne calor aut ex arbore rami aut ardor ex sole. — Et cum filio adoratur. Quia Spiritus cum consubstantialis sit Filio ex Patre genito, a creaturis pariter ac Filius adorandus est. Qui locutus est per prophetas, iuxta *illud[1] : «Spiritus Domini super me», *p. 39.
et[2] : «eduxit me Dominus Spiritu suo», et[3] : «Spiritus Domini replevit orbem», et[4] : «Dominus misit me et Spiritus eius», et[5] : «Emittes Spiritum tuum et creabuntur», et[6] : «Spiritus eius laudabilis deducet me in viam tuam vitae». — Et per apostolos. Per Apostolos etiam locutus est, quando in similitudinem igneae linguae super eos illapsus est et in cenaculo quemadmodum Ioel dixit[7] : «Effundam Spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri.»

Et in unam ecclesiam. Ecclesiam «catholicam» id est universalem Apostolos vocat. Ecclesia enim, scilicet collectio generalis et universalis hi sunt, et unam ecclesiam eos vocat propter unanimitatem et unam eorum coniunctionem in timore Dei, secundum illud[8]: «Una anima et unus spiritus erat eis». Et propter hoc exinde dixerunt apostolicam. «Filia regis in gloria surrexit[9]», Apostolos David nominavit. «Adducentur virgines sociae eius[10]», Ecclesias quae in omni loco constitutae sunt post agmen apostolicum significat.

Confitemur unum..., unum baptisma *esse* nos docuerunt, quia semel baptizatus est Christus et semel crucifixus est. Et Paulus pariter scripsit[11] : «Unum baptisma.» Ergo qui in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizatos iterum baptizant, adversarii Pauli sunt, et Christum iterum crucifigunt, sociique Iudaeorum sunt.

Exspectamus resurrectionem. Id adversus Sadducaeos Origenem ceterosque haereticos scripserunt qui corpora resurrectura esse non

[1] Luc., iv, 18. — [2] Ezech., xxxvii, 1. — [3] *Sap.*, i, 7. — [4] Is., xlviii, 16. — [5] *Ps.* ciii, 30. — [6] *Ps.* cxlii, 10. — [7] Ioel., ii, 28; *Act.*, ii, 17, 18. — [8] *Act.*, iv, 32. — [9] *Ps.* xliv, 14. — [10] *Ps.* xliv, 15. — [11] *Eph.*, iv, 5.

Digitized by Google

credebant. Sed credimus quod quemadmodum Dominus in carne surrexit de sepulcro, ita corpora nostra resuscitabuntur et gloriam sine fine induentur.

*p. 40.

## *CAPUT OCTAVUM.

*De sacrificio.* — Post Fidem, Catholicam seu generalem proclamationem diaconus super gradus praedicat, urgens per hanc proclamationem ut decenter adstent et mentes a secularibus perturbationibus et curis emundent; atque ea quae a sacerdotibus dicenda sunt auscultent, et ad Deum deprecentur ut *ei* accepta sint, sciantque voces quas iubentur respondere. Hanc autem proclamationem apud occidentales in usu esse non videmus; orientales vero perseveranter ea utuntur.

*De manuum ablutione.* — Post haec sacerdos extremitates digitorum lavat. Lotio ante mysteria cunctum populum admonet ut eodem tempore ipsi etiam corda ab omnibus secularibus studiis abluant. Rursus : sacerdos ante mysteria dum lavatur manifestat se conscientiam coram Christo purificare. Iterum manifestat se Christo qui corda et renes scrutatur et occulta explorat cogitationes motusque mentis commendare. Rursus extremitates digitorum tantum lavando, ostendit se purum *esse* ab omni peccato nec nisi culpas quasdam leves et minima phantasmata habere. Tandem lotio sacerdotum qui in lege erant hanc ablutionem figurabat.

*De libro vitae.* — Hodie quidem eius lectio ubique desiit. De libro vitae qui ad altare idcirco legitur primum ut hi coram nobis proclamentur qui sancte pureque ad sanctam consummationem pervenerunt; deinde ut ostendatur eos *esse* viventes, non mortuos, et ex eo patet quod cum Iesu proclamantur juxta illud[1] : « animae iustorum in manu Dei sunt »; et quia in vita sua *sanctis adhaeserunt, decet eos post mortem super sancta proclamari. Rursus quod proclamentur super altare quod est loco Iesu significat eos semper cum Iesu esse, iuxta illud[2] : « Ubi sum ego, illic sit et minister meus »; et iuxta illud[3] : « Sint unum in nobis ». Iterum manifestat memoriam sanctam eis esse; et cum eos proclamat, nos urgendo incitat ut eorum opera sancta et fidem rectam imitemur, quatenus et nos beata consummatione digni simus, et sicut ipsi super altare post mortem nostram proclamemur.

*p. 41.

[1] *Sap.*, III, 1. — [2] Ioh., XII, 26. — [3] Ioh., XVII, 21.

Digitized by Google

Dimitte, domine, debita nostra et tu autem bonus es qui non irasceris, et reliquas orationes huiusmodi non decet ante orationem illam pacis neque post eam recitari; quia quamvis pulchrae sint, non congruunt. Pulchrum quidem evangelium, sed ipsum non decet nisi suo tempore legi : ita et hae orationes; nec aliam de venia vel remissione peccatorum ante orationem pacis decet fieri.

Rursus dicimus sacrificium in quinque capita dividi. Exinde porro incipit caput primum : gloria patri et filio et spiritui sancto. Dicit Iacobus Edessenus his *verbis* incipere sacerdotem cum doceat unitatem naturae et substantiae et tres personas quae sine divisione distinguuntur et sine effusione uniuntur. Et per hoc nunc alludit ad Filium et ad tempus incarnationis eius. — Et semper videlicet : Deus est. — In secula seculorum, hoc est : sine fine est in principio et in consummatione. — Rursus per illud : gloria patri et filio et spiritui sancto, unam divinitatem laudat quae tripliciter sine scissione distinguitur, et singulariter sine effusione adunatur in trinitate personarum quae mysteria sanctificant. Et ideo* cruces tribus *p. 42.
in locis signantur, et tres sunt orationes ante sacrificium. Moyses episcopus, qui Bar Kēphā nuncupatur, ait : «non convenit dicere : Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, ante orationem pacis; non quod non deceat Filium et Spiritum Sanctum cum Patre laudari a quo gloriam essentialem habent, sed ne sacerdos reputetur trium personarum nomine sacrificium offerre. Porro, notum est eum loco Christi esse ex illo[1] : «Hoc est enim corpus meum.»

Etiam populus ad Patrem clamat : «Miserere mei Deus Pater.» Idcirco «Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto» sacerdotibus *convenienter* incipiendum est. Ex quo notum est in ipsorum sacerdotum codicibus additamenta et deminutiones non modicas in ordine *liturgiae* esse, et unumquemque pro libitu quidquid voluit exscripsisse, multasque variationes in eis *codicibus* exstare. In libris vero Veteris et Novi *Testamenti* non ita; sed exemplaria ubique inter se conveniunt.

Deus omnium et Dominus et cetera. Haec liturgia Mār Iacobi omnibus liturgiis antiquior est, et ideo iuxta eam ordinantur ceterae. Oratio haec prima vocatur «pacis»; exstat in ea supplicatio ad Patrem, qui nobis concedat ut in puritate cordis et in amore Dei *constantes* simus. Tres porro sunt orationes «priores», uti diximus : *oratio*

[1] Matth., xxvii, 26; Marc., xiv, 22; Luc., xxii, 19.

Digitized by Google

«pacis» et *oratio* «impositionis manuum» et *oratio* «veli». In oratione pacis ab omni iracundia et dissidio et malitia liberari iubemur, ut, cum pacis largitionem perfecerimus, digni efficiamur qui Deo uniamur, et pacificam unionem cum eo participemus, quae expellat a nobis cuncta materialia.

*p. 43. *Et post orationem dicit sacerdos : PAX VOBIS OMNIBUS; i. e. : pacis figura quam dedit Dominus noster discipulis suis. Ipse enim est qui per sacerdotem pacem largitur, quia sacerdos similitudinem Christi gerit, ut diximus. Per hoc vero : PAX CUM OMNIBUS VOBIS, eos hortatur ut pacifice et in caritate pacem inter se conferant clerus et populus; clerum quidem *hortatur* sicut dixit Dominus noster discipulis suis[1] : «In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis inter vos»; populum vero secundum illud[2] : «Dilige proximum tuum sicut teipsum». — Iterum pax datur ut impleatur verbum Domini nostri[3] : «Relinque munus tuum et reconciliare fratri tuo». Et pariter spirituales *creaturae* ibi congregantur, et pacem nobiscum communicant eodem tempore, quia pax exstitit illis nobiscum per occisionem Filii. — Rursus, per pacem quam inter nos damus eo tempore, profitemur nos esse paratos ad communicandum cum Verbo per corpus eius; hoc vero fieri non potest cum inest nobis discordia erga nosmetipsos aut erga alterutrum. Idcirco pacem damus ut ostendamus quod quemadmodum exterius oscula damus, ita interius pacem et caritatem inter nos habemus. — Rursus, cum inter nos pacem habemus, cum Deo pacem habemus. Iterum : pacem quam damus extinguit et dissipat inimicitias mutuas. Iterum : per pacem indicamus inimicitiam et iracundiam exstitisse inter Deum et homines, inter populum et Gentes, inter animam et corpus : Christum vero eas dissipasse et pacem inter ea regnare fecisse. Pax datur ante mysteria circumquaque, dum circumvolvitur clerus, ut angeli pastores *circumdabant;* cucurrerunt illi *pastores*, magi quoque, ad eum qui *erat* in
*p. 44. spelunca et, per illum, *consensum unanimum et pacificum nacti sunt. — Omnes fideles dicunt antiphonam : PACEM ET TRANQUILLITATEM, vel : QUI MINISTERIO, cum dant pacem; eodem modo ordines superiores et inferiores faciunt; quod mystice significat reconciliationem et glorificationem universalem quas in fine temporum per Christum nanciscentur.

[1] IOH., XIII, 35. — [2] MATTH., XIX, 19. — [3] MATTH., V, 24.

Statim respondet populus : CUM SPIRITU TUO. Quasi Christo sacerdoti respondent et dicunt : «cum Spiritu tuo» quem largitus es nobis per baptisma, nobis etiam insit pax et tranquillitas tua quam nobis dedisti quando dixisti[1] : «Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.» Iterum respondent sacerdoti : tecum etiam sit pax, sicut dicit Theologus : «Pax illa quam dedisti et recepisti.» — Iterum : quia sacerdos pacem dat populo, et populus eam recepit alacriter, idem ipse populus dat pacem sacerdoti per illud : CUM SPIRITU TUO. Et est oratio communis : «sacerdos orat super populum et simul populus pro sacerdote[2]».

Deinde diaconus clamat ad populum : DATE PACEM INTER VOS PER OSCULUM; i. e. non profano modo sed divino, non corpore tantum sed et spiritu; in osculo sancto quod caritatem spiritualem excitat : postquam vero pacem dederunt, extinxerunt et amoverunt omnem iracundiam per pacem, et colligati sunt unanimitate spirituali caritatis et tranquillitatis.

Tunc diaconus dicit : POST PACEM; i. e. iubet ut inclinentur capita eorum qui simul adsunt coram Christo qui videt omnia abscondita et, prout meretur unusquisque, eum purificat, illuminat, perficit. — Iterum : datio pacis repraesentat eum qui abstulit iniquitates nostras et reconciliavit nos cum maiestate sua. Iterum : per pacem *mystice significat concordiam, divinam et mundo superiorem, bea- *p. 45.
torum qui exultant in hac tranquillitate quae provenit a pacificatore omnium; per osculum sanctum : familiaritatem et unionem cum Spiritu quo colligantur spiritus iustorum et uniuntur. — Quod autem capita inclinemus, symbolice figurat inclinationem angelorum et spirituum iustorum qui in novo mundo adorant essentiam *divinam*. Per demissionem inclinationis ad eum in quo benedicimur, nos docet veram adorationem in spiritu et veritate. Iterum, per illud : CORAM DOMINO CAPITA NOSTRA INCLINEMUS, populum hortatur *diaconus* ut inclinent capita sua corporalia et intellegibilia coram Domino, et deprecentur eum ut eam benedictionem recipiant quam pro eis petit sacerdos in secunda oratione. — Hoc capitulum hic sumat finem.

[1] Ioh., XIV, 27. — [2] *Num.*, XV, 25.

## CAPUT NONUM.

Dicimus in eo capite quod in tota liturgia tres orationes sunt quae dicuntur «super populum» specialiter; haec secunda *oratio pacis*, et quae dicitur ante : SANCTA SANCTIS, et quae recitatur in fine totius liturgiae. Et manifestum est eas esse proprie «super populum» eo quod ante tres illas *orationes*, CORAM DOMINO CAPITA NOSTRA INCLINEMUS dicit diaconus. Hae porro tres dictae orationes vocantur «impositionis manuum» et vocantur etiam «super populum». Nosse igitur convenit quod quandocumque diaconus recitat : CORAM DOMINO CAPITA NOSTRA INCLINEMUS, orationem «super populum» orat sacerdos.

Iterum : in liturgia genua ponere nemini licet; non quasi genuflectionem parvipendamus; si enim fieri poterat, omni hora genua *p. 46. poneremus *coram Domino. Sed in liturgia genua ponere non decet, sicut nec die dominica. Genuflexio enim signum est casus nostri : liturgia vero signum est resurrectionis nostrae. Denique scriptum est : «Coram Domino capita nostra inclinemus», non autem : «Coram Domino genua ponamus»; sacerdos etiam similiter dicit : IN EOS QUI COLLA SUA INCLINAVERUNT. — Haec oratio vocatur «impositionis manuum», quia ea digni efficiuntur donis divinis, et benedicuntur et sanctificantur et purificantur fideles.

Post orationem secundam recitat *sacerdos* tertiam orationem quae vocatur «super velum». In ea oratione Patrem suppliciter deprecatur ut hoc sacrificium acceptabile habeat a se et a populo qui post se stat; dicit enim : NON IN IUSTITIA NOSTRA CONFISI accedimus ut sacrificium tibi offeramus, cum simus peccatores, sed in misericordia tua multa confidimus ut a nobis sacrificium recipias. — Dicitur oratio «veli», quia in eius fine sacerdos aufert velum, scilicet anaphoram seu operculum, et in publicum profert mysteria quae *antea* erant abscondita.

Et statim recitat diaconus : STEMUS DECENTER et reliqua, quibus hortatur et monet populum ut secundum ordinem, in timore et castitate et sanctitate sit status eorum. Primum quidem, quia in proximo est ut revelentur mysteria, *remoto* velamine quod eis erat impositum; rursum vero, quia eo momento reserantur portae caelorum, descenduntque exercitus caelestes et spiritus iustorum defunctorum in occursum et in honorem mysteriorum sanctorum.

Digitized by Google

Manifestum est eo tempore angelos descendere ex eo quod hoc momento sumunt diaconi flabella quae figurant alas Seraphim sanctorum. Tunc obumbrantur mysteria, sicut et caput Domini obumbrabat Ioannes quando manus super eum imponebat in baptismo. Iterum, sacerdos repraesentat Spiritum *perficientem; diaconi *p. 47. vero hinc et inde angelos qui stabant in sepulcro ad caput et ad pedes eius. Cum autem corpus eius viveret etiam in morte, sanguis quoque erat in eo. Quod vero sumant diaconi flabella, signum est admirationis qua extolluntur erga mysteria formidanda.

*De anaphora.* — «Anaphoram» superius interpretati sumus vestimentum, alii scalam interpretantur anaphoram, alii edictum; sicut enim edictum *ascendit* ad regem, ita anaphora ascendit ad regem caelestem. Extenditur super mysteria, quia repraesentat absconsionem et invisibilitatem divinitatis absconditae in his mysteriis. Iterum : est figura petrae quae imposita erat sepulcro Domini nostri. Iterum : ostendit Emmanuelem fuisse occultatum et reconditum in sacrificiis legalibus et in ministerio illo umbratico, revelari vero per mysteria; pariter divinitas quae absconditur in mysteriis non manifestatur non initiatis aut infidelibus, initiatis et fidelibus typice revelatur. Designat iterum petram sepulcri Domini nostri quam revolvit et abstulit angelus. Designat iterum hunc Emmanuelem qui recondebatur in sacrificiis legalibus seipsum revelasse in incarnatione. Manifestat iterum mysterium illud quod abscondebatur a seculis, et in fine revelatum est in carne. Iterum ablata est obscuritas Veteris Testamenti, et revelatum est mysterium illud quod recondebatur in sacrificiis legalibus.

Iterum per ablationem veli *figuratur* ablatio velaminis et stupiditatis quae est in medio, dum auferetur passibilitas qua circumdatur natura nostra, et nude *sine velis aut symbolis splendorem *p. 48. illum gloriosum adspiciemus. Exigitur porro ut auferamus a cordibus nostris eo momento velamina passionum et gravamina tenebricosa *peccati*, et consideremus mysteria proposita, quantum creaturis licet.

Ascendere et descendere faciunt anaphoram (*seu velum agitant*), eo quod cum Petrus apostolus opinaretur baptismi et remissionis gratiam solis Iudaeis datam fuisse, visa est ei visio vasis quod descendebat de caelo, et in eo erant animalia quadrupedia et reptilia et aves et volatilia quorum quaedam munda et quaedam immunda



Digitized by Google

erant; quasi Deus ita ostenderet ei non tantum genti Iudaeorum, quam purificasset lex, datam esse gratiam sancti baptismi, verum etiam Gentibus illis quae pridem impurae essent. Ideo ascendere et descendere faciunt anaphoram, ut significent gratiam illam mysteriorum omnibus qui crediderint in Christum datam esse ad miserationem sive e populo *iudaico* sint, sive ex Gentibus.

Deinde populus respondet et recitat : MISERICORDIA, PAX, SACRIFICIUM et CONFESSIO. Videlicet «misericordia» Dei quae effusa est super nos, nobis dedit sacrificium illud quo pro nostro genere oblato iustificatum est *genus nostrum*. «Pax» autem quia pacificationem fecit *sacrificium illud* inter caelestes et terrestres, inter populum et Gentes, inter animam et corpus quando sacrificatum est; «confessio» vero, nam eam dedit Christus in cenaculo, confitens Patri pro nobis, sicut dicit Paulus[1] : «Panis benedictionis quem sumimus et calix confessionis», et cetera.

*p. 49.

## *CAPUT DECIMUM.

*DE MYSTERIIS.* — Initium *κεφαλαίου* seu capitis secundi liturgiae hoc est : CARITAS DEI PATRIS, GRATIA UNIGENITI FILII, ET COMMUNICATIO ET OBUMBRATIO, videlicet commendat eos *sacerdos* sanctae Trinitati, et signat eos tribus crucibus, ut sit habitus eorum mundus et sine macula. — Cum dicit : CARITAS DEI PATRIS, ostendit quod caritate sua dedit Deus Filium suum in mortem, ut dicit Paulus[2]. Cum dicit : GRATIA UNIGENITI FILII, manifestum facit quod per gratiam gustavit mortem pro omnibus ipse Filius; et per gratiam suam nos fecit esse filios Patris sui, non vero quod hoc digni fuerimus. Cum dicit iterum : OBUMBRATIO ET COMMUNICATIO SPIRITUS, demonstrat quod per obumbrationem Spiritus Sancti sacrificia perficiuntur et acceptabilia fiunt. — Non licet sacerdotem scindere illud : CARITAS DEI PATRIS, et dare moram, id est occasionem et locum populo ut respondeant singulis invocationibus : «Amen»; quia haec non est oratio; sed : propter caritatem dedit Deus Filium suum.

Porro sunt sacerdotes parum docti qui huc introducant additamentum, cum dicant : «Caritas Dei Patris, gratia Unigeniti Filii, Dei magni et salvatoris nostri Iesu Christi, et communicatio», et cetera. Sancti vero doctores, uti Iacobus Edessenus et Moyses Mos-

[1] I *Cor.*, x, 16. — [2] *Hebr.*, II, 9.

sulanus scripserunt ut supra tradidimus. Additamentum enim : «Dei magni et salvatoris Iesu Christi» introduxerunt proprio iure; recte vero hoc dicitur cum secunda vice fiunt cruces super populum, quando dicit sacerdos : SIT MISERICORDIA DEI MAGNI ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI CUM *OMNIBUS VOBIS. Quod autem illic et *p. 50. ibi recitetur per vanam garrulitatem inordinatorum introductum est.

Cum dicit sacerdos : CARITAS DEI PATRIS, ET GRATIA UNIGENITI FILII, ET PARTICIPATIO SPIRITUS, videlicet ut haec tria sint populo, respondent ei : ET CUM SPIRITU TUO, id est : «tecum etiam». Statim sacerdos iussa dat populo, dicens : SURSUM SINT MENTES ET CONSCIENTIAE ET CORDA OMNIUM NOSTRUM; i. e. quia revelata sunt eis mysteria sancta et ianuae caelorum apertae sunt, et descenderunt exercitus spiritualium et spiritus sanctorum quasi ad honorem mysteriorum, sursum sint mentes et conscientiae omnium nostrum, non vero inferiora versus in terrestribus *conversentur*. Iterum : caelestia meditemini et a terrenis mundemini. Rursum : postquam ab omnibus terrenis longe facti sumus, in excelsis sint mentes et conscientiae et studia et corda nostra, id est ad Deum qui est Dominus omnium.

Populus statim respondet : HABEMUS AD DOMINUM [1]. Iacobus Edessenus dicit : «Est nobis apud Dominum» Incarnatio Filii per quam nos redemit. Iterum : est nobis apud Patrem misericordia eius super nos; est nobis apud eum inscriptio Spiritus Sancti qua inscripsit nos in adoptionem filiorum in baptismo, secundum illud [2] : «Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.» Iterum : est nobis in caelo Paracletus, Iesus Christus. Explanatur Paracletus : supplex et consolator et propitiator. Alii dicunt : «Sumus apud Dominum» hoc est ad modum retribuentis; etiam populus sacerdoti dicit : «Habemus ad Dominum» nunc oculos nostros et corda nostra; etiam gratiam et caritatem qua Filius Incarnationem suam complevit et sublatus est ad Patrem, et ea meruimus fratres eius fieri. Moyses Bar Kēphā mossulanus dicit : «Habemus ad Dominum» et : «sumus apud Dominum», non sunt rectae responsiones, quia non *ita dixit sacerdos : «Habetisne ad Dominum ?» aut : *p. 51. «Simus apud Dominum», ut responderent ei : «Habemus ad Dominum.» Quod si : «Habetisne ad Dominum» dixisset, recte responderent : «Habemus ad Dominum.» Non igitur rectae sunt hae

[1] Ad litt. : «Est nobis apud Dominum». — [2] Luc., x, 20.

responsiones; sed cum sacerdos dixerit : «Sursum sint mentes et corda nostra», aequum est populum respondere : «Sunt apud Dominum», sicut iussisti et dixisti. Dixisti nobis ut sursum essent mentes et corda et conscientiae nostrae; re quidem vera sunt apud Dominum, ut dixisti; et haec est recta responsio.

Postea addit sacerdos : CONFITEAMUR DOMINO IN TIMORE. Id est : iubet populum in timore confiteri Domino propter tria : primo quia revelata sunt mysteria quae tecta erant; secundo quia descenderunt angeli et steterunt circumcirca mysteria; tertio propter donum illud eximium quod largitus est nobis Dominus.

Respondet quidem ei populus : DIGNUM ET IUSTUM EST, id est : dignum et iustum est ut confiteamur ei, sicut dixisti; quia omnes laudatores eius sunt. Iterum : dignum et iustum est ut hoc fiat omni tempore, id est : ut sine intermissione ascendat ad Deum gratiarum actio propter ea quae operatus est erga nos. Et cum videat sacerdos se ipsum et omnem populum unum corpus esse, sumit eorum consensum, et inclinatur ut offerat pro eis illud sacrificium, et confitetur Domino suo dicens : VERE DIGNUM ET IUSTUM EST UT TE LAUDEMUS et cetera. Postquam autem sacerdos et populus inter se mente unanima consenserunt, incipit sacerdos ministerium mysticum liturgiae quod dividitur in duos ordines : prior quidem *est* consecratio mysteriorum, alter vero commemorationes.

*p. 52.

## *CAPUT UNDECIMUM.

In capite quod nunc tractamus docemur initium oblationis esse : QUEM LAUDANT CAELI CAELORUM ET OMNIS EXERCITUS EORUM, i. e : Ei competit et debetur laus corporea et visibilis, et omnis creatura incorporea et invisibilis laudem ad eum dirigit. Primum *sacerdos* commemorat creaturas rationales et ordines superiores, et Cherubim et Seraphim, et iubet nos simul cum eis personare glorificationem triplici sanctificatione Trinitati. Ab initio oblationis usque ad extensionem[1] hanc : SANCTUS, SANCTUS, adorationem et laudem offerimus illi naturae aeternae quae ad existentiam adduxit visibilia et invisibilia; idcirco haec commemorat, et deinceps recordatur temporis creationis. DUABUS QUIDEM ALIS FACIEM SUAM TEGUNT;

[1] *Extensio,* syriace pešāṭṭā, dicitur oratio seu pars quaelibet liturgiae quae extensis manibus et alta voce recitatur. *Inclinationem,* syriace gehāntā, solus sacerdos inclinatus secreto recitat.

Digitized by Google

dum faciem suam tegunt manifestant Deum esse aeternum et sine principio. Dum pedes tegunt ostendunt Deum esse sine fine et sine termino. Dum volant duabus alis et laudem dant, manifestant ei qui est sine principio et sine fine laudem ab omnibus deberi. Dum vero tribus vicibus dicunt «Sanctus, Sanctus, Sanctus», manifestant hunc Deum qui neque incepit esse nec desinet tres personas esse. Dum autem dicunt : «Dominus» ostendunt has tres personas unam naturam et unum dominum esse; dum vocant eum «fortem» docent eum virtute sua excelsa omnia ad existentiam adduxisse et tenere et custodire per providentiam suam; «fortis» enim hebraica lingua dicitur Sabaoth; et verbum illud sic ostendit Dominum roboratorem virtutum esse.

Altero modo : praevidit igitur Isaias propheta unum de sancta Trinitate, *Filium scilicet qui futurus erat ut homo fieret, sedentem *p. 53.
super solium excelsum et Seraphim circumdantes eum. Hoc testificatus est Ioannes evangelista; dicit enim Isaiam vidisse gloriam Filii et locutum esse de eo[1]. Similiter Cyrillus, ut supra diximus, de Filio interpretatus est visionem Isaiae. Dum velant facies suas, manifestant se non intellegere eius aeternitatem; dum pedes suos tegunt, ostendunt quod neque Incarnationem eius intellegunt, dum autem duabus *alis* volant, id est : laudant et sanctificant eum constanter. Dum vero tribus vicibus clamant ad eum : «Sanctus» demonstrant eum esse unam e tribus personis. Dum iterum dicunt eum «dominum» manifestant eum esse consubstantialem Patri et Spiritui. Dum vocant eum «fortem» manifestant eum hominem factum fuisse quin tamen mutaretur ex eo quod esset Deus, et vicisse Satanam et mortem, genus quoque nostrum fortitudine sua divina redemisse.

Iterum : cum facies suas velant manifestant quod quantumcumque excelsi sunt Seraphim, non audent indagare altius quam ipsis licitum est; cum vero pedes suos tegunt manifestant quod neque in profunditates inscrutabiles iudiciorum Dei scrutari possunt, secundum quod dictum est[2] : «Altiora te noli scrutari»; cum vero duabus alis mediis volant, manifestant quod moderate se gerunt erga ea quae sibi a Deo committuntur, dum non transgrediuntur legem a Deo sibi positam, sicut transgressus est Calumniator qui recessit a lege divina.

[1] Ioh., xii, 14. — [2] *Eccli.*, iii. 22.

Populus vero clamat et dicit : SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS; i. e : Gloria tribus personis quae in caelo et in terra et super altari et in omni loco non continentur. Gloria excelsa et iubilatio cum angelis :
*p. 54. scientia est divina angelorum qua digni facti sumus *per oeconomiam in carne, et hodie praedicatur super mensam sacerdotalem a superioribus et inferioribus *ordinibus*. — Tria «sanctus» sunt, ut discas nec naturam nec personam aliam additam fuisse essentiae; ascendunt quoque tria «sanctus» ad Trinitatem, etiam ad singulas personas quod sunt una natura et tres personae. Iterum : «sanctus, sanctus, sanctus»; i. e. sicut dixisti, o sacerdos, quod Seraphim sanctificant Verbum Deum, ita et nos eum sanctificamus; Dominus et fortis est quod haec universa ad existentiam adduxit, eaque tenet et servat ne pereant providentia sua super ea. Iterum : cum incarnatus est non mutatus est ex eo quod erat Deus, sed mortem vicit et Satanam et redemit nos. Iterum : etsi incarnatus est propter infirmitatem nostram, fortis tamen est divinitate sua.

PLENI SUNT CAELI; i. e.: omnia caelestia et terrestria eum laudant. — HOSANNA, i. e. : Hebraica lingua ušiʿānā, salutem interpretantur; lingua autem graeca σῶσον seu glorificatio; et graeca et syriaca lingua «hosanna» ab hebraica mutuati sunt. Vere quidem Iesus est salvator, secundum illud[1] : «ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum» et[2] «salvavit nos a morte et Satana»; et est Dominus gloriae secundum illud[3] : «Si enim novissent, non Dominum gloriae crucifixissent». Dicimus ergo laudem in excelsis Filio qui incarnatus est et redemit nos. — BENEDICTUS QUI VENIT ET VENTURUS EST; i. e.: Venit in primo adventu et salvavit nos; venturus est in ultimo adventu in iudicium et retributionem omnium. — IN NOMINE DOMINI; i. e. : In nomine Patris sui venit primum; ita et in adventu ultimo in nomine Domini, scilicet Patris sui, venturus est; non quasi despectus et in peregrina natura, sed sicut consubstantialis Patri suo.

*p. 55. Iterum *cum tripliciter «sanctus» dicimus, significatur quod in seculis aeternis sancte sanctificabunt sancti Patrem et Filium et Spiritum : tres personas, unum Deum qui omnia sanctificat et ab omnibus sanctificatur. Per incubationem significantur illapsus arcani seu incubationes ineffabiles Spiritus Sancti super mentes divinas *beatorum*.

[1] MATTH., I, 21. — [2] *Hebr.*, II, 14. — [3] I *Cor.*, II, 8.

Digitized by Google

Ab «extensione» Sanctus ad «inclinationem» sequentem, creationem exercituum spiritualium commemorat *sacerdos*, quorum ordines et attributa praeclara in eorum creatione *constituta sunt*. Et ab «inclinatione» quae sequitur «Sanctus» usque ad narrationem *rerum* in cenaculo *gestarum*, tempus creationis Adami et donum quod datum est ei, et liberum eius arbitrium, et quomodo consilio mulieris cecidit, et quomodo salvatus est per Filium in fine temporum docet.

Inclinatur sacerdos et dicit : VERE QUIDEM SANCTUS ES, i. e. : confirmat id quod dixerunt Seraphim sanctificantes Trinitatem, et quod respondit populus dicendo : «sanctus, sanctus», et reliqua. — Iterum dicit sacerdos in eadem inclinatione : SANCTUS ES, PATER, ET SANCTUS UNIGENITUS FILIUS TUUS, ET SANCTUS SPIRITUS TUUS SANCTUS. Postea respicit ad personam Patris in eadem «inclinatione» et loquitur de Incarnatione Filii propter nos ad modum narrationis. Et cum huc devenerit, erigitur et narrat ea quae gesta sunt in convivio illo mystico in cenaculo. Per commemorationem sacrificii quod actum est in cenaculo, *praefigurat sacerdos* sacrificium quod sacerdotaliter litabimus in uno assensu spirituali, cum omnes simul in vita nova digni facti fuerimus scientia illa perfecta qua evacuabitur *θεωρία* haec aenigmatica.

Id quoque sciendum est : cum interpretes liturgiae loca *tantum* quae interpretatione indigerent illustraverint, totum vero corpus *liturgiae* non tractaverint in expositione, quidam ex veteribus librariis *re* non diligenter perspecta *defecerunt in hac «incli- *p 56.
natione», de qua supra, et passiones Patri tribuerunt. Sic enim scripserunt : «sanctus es, omnitenens, omnipotens, tremende, bone, qui passionum es particeps; maxime vero propter figmentum tuum», et cetera; et proprio iure passiones ad Patrem transtulerunt. Quidam vero ex antiquis ita locum hunc interpretabantur : «sicut pater patitur cum vapulat puer, ita Pater passus est propter passiones Filii sui». Alii dicunt quod voluntate passus sit. Sicut enim scriptum est de ipso Patre[1] : «Paenituit eum quod Adam creasset», etsi natura sua supra paenitentiam est, ita dictum est eum passum esse, etsi est supra passionem. Nos vero, cum audierimus Clementem in octavo suo libro dicentem[2] : «Qui dicit Patrem passum

[1] *Gen.*, VI, 6. — [2] I. e. : libr. VIII *Constitut. Apost.*; laudata sententia deprompta est e *Can. Apost.* (c. 44, iuxta recensionem syriacam; cf. MAI, *Script. vet. nov. Coll.*, t. X, p. 13).

Digitized by Google

esse, cum Iudaeis occisoribus Dei est», novimus errorem esse in ea «inclinatione», qui quidem a Doctoribus introductus non est, sed librariorum fuit. Altera causa est: Si dicimus haereticis Filium passum fuisse in carne, Theopaschitas nos vocant usque modo; si audierint Patrem quoque passum fuisse, quanto magis nos vituperabunt! Sed verba nos recte emendamus, et consequentia *sermonis* haec est: SANCTUS ENIM ES ET OMNITENENS ET OMNIPOTENS, TREMENDE, BONE, CUM FILIO TUO, ILLE QUI PASSIONUM PARTICEPS FUIT; MAXIME VERO PROPTER FIGMENTUM TUUM. Illud enim: «cum filio tuo» neglexerunt scribae; quod manifestum est, quia si quis in eodem sermone perrexerit, dicet: VOCASTI EUM PER LEGEM, DIREXISTI EUM PER PROPHETAS, IN FINE VERO FILIUM TUUM UNIGENITUM IN MUNDUM MISISTI. Atqui per illud «Unigenitum Filium tuum», demonstrat se alludere ei cuius meminerat dum diceret: «cum Filio tuo». Manifestum est iterum a locutione et verbo «ille». Si enim de Patre loqueretur hoc loco, tantum dixisset: «tremende, bone, tu qui particeps es passionum». Sed quia dixit: «Ille qui particeps est» non vero: *p. 57. «tu qui particeps es», ostendit *«cum Filio tuo ille qui particeps est passionum» se significare.

Verbis quidem paucis in ea «inclinatione» commemorat omne consilium bonitatis divinae circa hominem: propter creationem eius primam, et delectationem eius in Paradiso et legem quae ei imposita erat, et quomodo iussa transgressus est, et cecidit; et quomodo homo factum est Verbum, et passum est carne, et quomodo nos deificavit per philanthropiam suam.

## CAPUT DUODECIMUM.

Iterum dicit sacerdos: CUM IN PROXIMO ESSET UT MORTEM VOLUNTARIAM OBIRET. Hic narrat historiam mysticam et facit commemorationem sacrificii illius quod sacerdotaliter complevit Dominus noster in cenaculo vespere quo traditurus erat seipsum pro nobis. Postquam enim legale Pascha absolvit, vicibus functus est archisacerdotis, et id ministerium commisit discipulis suis. — SUMPSIT QUIDEM PANEM IN MANIBUS SUIS SANCTIS, i. e.: panem sumendo nobis demonstrat quod carnem animatam sumpsit e sancta Virgine. — In aliis exemplaribus scriptum est: «et intuitus est in caelum»; videlicet per hoc «intuitus est» voluntatem Patris ostendit. — ET OSTENDIT TIBI DEUS, i. e. ostendendo eum *panem* Patri, declarat nobis se ad

Digitized by Google

principium et patrem suum loqui; deinde se non esse adversarium patris, ut mentiebantur de eo Iudaei. — Confessus est; scilicet confitendo nobis manifestat quod confessus est Patri quasi in persona nostra propter bona quae nobis largitus est *Pater* in oeconomia Filii sui, sicut dicit Paulus[1]. Iterum : confessus est, ibi est : «perfecit»; nam perfecit voluntatem Patris, et ideo confessio hic pro perfectione ponitur, quasi sit : perficio voluntatem tuam, Pater, ut passionem et mortem subeam pro genere humano. Ibi* *p. 58.
confessio non deprecatio est neque oratio : verum : comprobo et perficio voluntatem tuam, ut mortem subeam.

Et benedixit, i. e. benedicendo declarat se abstulisse maledictionem transgressionis mandatorum a genere nostro eique benedixisse, secundum illud[2] : «Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus tuus», ut ait Elisabeth. Deinde ut ostendat se non minorem esse natura illo qui benedicit, sed ipsum etiam benedicere valere. — Et sanctificavit; i. e. sanctificando declarat se nos sanctificasse a peccato, secundum illud[3] : «Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.» Deinde : sanctificavit se pro nobis secundum quod ipse dixit[4] : «pro eis sanctifico meipsum.» — (Et fregit, non quidem corporis sui naturam sed panis species, ut discipulis suis distribueret)[5]. Iterum, frangendo nobis declarat passionem et crucifixionem et occisionem suam et confixionem per lanceam et mortem suam. Iterum frangendo *mystice significat* se ipsum mactasse et divisisse et a se defluere propitiationem. — Et dedit eis; scilicet tradendo eis, ostendit donum a se provenire.

Signat tres cruces *sacerdos* super hostiam postquam dixit : confessus est. Deinde similiter super calicem profert etiam ea verba quae dixit Dominus noster in cenaculo quando mysterium confecit; ut per illa verba manifestet tunc quoque ab ipso *Christo* species sanctificari quae ponuntur super altare per voluntatem Patris et operationem Spiritus ope sacerdotis qui format cruces et verba profert. Non enim qui ministrat, sed qui invocatur super mysteria est consecrator. — Rursum : accipit hostia primum signum sanctificationis per signationem crucium, quo figuratur sanctificatio mystica quae facta est vespere illo in cenaculo. Rursum : signatione crucium quae hic formantur mystice significatur ille qui per voluntatem

[1] *Col.*, I, 25. — [2] Luc., I, 42. — [3] Ioh., I, 29. — [4] Ioh., X, 19. — [5] Sententia omissa quam sensus requirit. Habetur apud Assemani, *Cod liturg.*, t. V, p. 351.

Patris et operationem Spiritus Sancti ipse sanctificat dona proposita.

Hoc etiam decet discere : nempe cum sumit hostiam *sacerdos* et frangit eam aliquantulum, non separat ambas partes ab alterutra. *p. 59. Hoc figurat et declarat quod Christus etsi *fractus est super crucem et mortuus est et separata est anima eius a corpore, divinitas tamen eius non abiit nec remota est ab anima et corpore, sed permansit in unione personali et naturali cum anima et corpore. Ideo debet sacerdos attendere, cum frangit hostiam, ut aliquantulum frangat eam secundum ritum, nec separet partes ab invicem; nam quod frangat eam nec dividat, figurat separatam fuisse animam Verbi a corpore eius; quod autem non dividat aut separet partes ab invicem, manifestat divinitatem neque ab anima neque a corpore separatam fuisse.

Et dedit discipulis suis et dixit : sumite, manducate ex hoc. Discipuli procul dubio manducaverunt ex hoc corpore. Dominus autem noster, manducavitne ex hoc corpore, annon? Respondemus : manducavit ex hoc *corpore* et bibit ex sanguine suo, eo quod dictum est[1] : «Exinde non bibam vobiscum ex hoc genimine vitis.» Mār Ephrem dicit : «Manducaverunt discipuli corpus eius, et ipse cum eis manducavit; biberunt sanguinem eius, et ipse cum eis bibit.» Similiter Mār Ioannes dicit : «Postquam gustasset, dedit discipulis suis». Iacobus autem Edessenus dicit : «Eum manducasse ex corpore suo et bibisse ex sanguine suo certum est.» Cyriacus quoque patriarcha et Moyses Bar Kēphā docent eum manducasse ex corpore suo et bibisse ex sanguine suo.

Et hoc meum est corpus, i. e. : indagare decet utrum panis ille quem sumpsit Christus in manibus suis et benedixit et consecravit et vocavit corpus suum sit corpus idem quod de Virgine *prodiit* an alterum praeter illud? Respondemus : idem ipsum est corpus et sanguis eius quae de Virgine *prodierunt.* Sed forte obiiciet quidam : Quomodo id fieri potest? Cui respondemus : Fieri potest. Dextera enim haec quae ab initio sumpsit pulverem de terra et mutavit eum et plasmavit ex eo corpus Adami, ipsa mutavit hunc panem, et *p. 60. iussit eum *esse corpus Verbi quod ex Virgine et Spiritu sancto *formatum est.* Idem qui sumpsit carnem agni in Aegypto et mutavit eam et iussit eam fieri redemptionem Hebraeorum in Aegypto, ille

[1] Matth., xxvi, 29.

Digitized by Google

mutavit panem hunc et iussit esse corpus ipsum quod ex Virgine *prodierat;* et mutavit hoc vinum et iussit id esse sanguinem ipsum qui ex Virgine *prodierat.* Ita etiam hodie intellege circa panem et vinum quae offert sacerdos. Spiritus sanctus qui descendit in uterum Virginis et iussit carnem quae ex ea *prodiit* corpus et sanguinem fieri Verbi Dei, idem ipse descendit super altare et iubet panem et vinum quae sunt proposita corpus et sanguinem fieri Verbi Dei, quae sumpsit de Virgine Maria, per manus sacerdotis qui consecrat et offert. Iterum intellege miraculum quod illo vespere in cenaculo patratum est : manducavit ex corpore suo et iussit manducari a discipulis suis; bibit sanguinem suum et potavit eos; miraculum illud mentes creatas transcendit neque id assequuntur.

## CAPUT TERTIUM DECIMUM.

Ibi convenit nos inquirere utrum corpus et sanguis quae manducamus et bibimus, Verbi Dei sint an hominis qui de Maria *natus est*, ut aiunt Nestoriani. Respondemus : Verbi Dei esse corpus. De hoc testatur Paulus cum dicit[1] : «quicumque manducaverit corpus Domini et biberit eius sanguinem». Rursum dicit[2] : «non diiudicans corpus Domini.» Ecce ergo vocat ea : corpus et sanguinem Domini, non vero hominis. Corpus igitur et sanguinem Domini sumimus, non vero hominis. Quod autem Deus sit Dominus, testis est David cum dicit[3] : «Non est dominus deus praeter dominum». Et quanquam dicit Paulus[4] «corpus filii hominis», vocat tamen ita Verbum Deum. Postquam enim Verbum caro factum est *et habitavit in *p. 61.
nobis, quovis nomine vocetur, totum intellegitur. Si Verbum vocatur, filius hominis est. Si corpus vocatur, Deus est. Ergo filius hominis cuius corpus manducamus, ipse est Filius Dei. Cum autem dederit nobis Christus manducare corpus suum et bibere sanguinem suum, non est homo in quo habitat Deus, sed Deus qui factus est homo sine mutatione. Hominem esse cuius corpus manducamus et sanguinem bibimus, nec natura probat, nec Scriptura docuit. Quomodo homo dare valeat vitam aeternam, cuius[5] «sicut faenum *sunt* dies eius»? Ergo, Christus Deus est qui homo factus est. Quandoque dicit Iesus nos divinitatem suam manducare, sed in quantum

[1] I *Cor.*, XI, 27. — [2] I *Cor.*, XI, 29. — [3] *Ps.* XVII, 32; II *Reg.*, XXII, 32. — [4] I *Cor.*, XI, 29. — [5] *Ps.* CII, 15.

Digitized by Google

est incarnatus, secundum illud[1] : «Ego sum panis qui descendi de caelo» et[2] : «Si quis manducaverit ex hoc pane». Quandoque dicit nos corpus suum manducare, ubi dixit[3] : «Nisi manducaveritis corpus Filii hominis.» Et quandoque dixit nos totum manducare, ubi dixit[4] : «Qui manducat me, ipse vivet propter me». — Corpus autem et sanguis eius sunt cibus spiritualis; in eis vita absconditur. Et ex eo notum est quod cibum corporalem ad satietatem sumimus, cibum vero spiritualem modicum et partim. Cibus corporalis replet et accomodat copia sua, hic vero *cibus* virtute sua quae sufficit ad vivificandum et servandum eos qui ei communicant.

Quare corpus et sanguis vocantur mysteria? Mysteria vocantur corpus et sanguis quia non sunt quod esse videntur. Adspectu enim panis et vinum sunt, sed intelleguntur esse et sunt *revera* corpus et sanguis Filii Dei. Et sicut ipse Iesus videbatur homo esse cum esset Deus : ita quae videntur panis et vinum esse sunt corpus
*p. 62. et sanguis. Quanquam vero Spiritus mysteria fecit *esse corpus et sanguinem, Filii tamen sunt, ad modum illius quod in Virgine patratum est : etsi Spiritus Filium corporavit, Filius tamen fuit qui corporatus est, sicut dixit angelus[5] : «Qui ex te nascetur sanctus est et de Spiritu Sancto.» Quanquam Spiritus sanctus causa fuit eius, cum formaverit corpus, ille tamen qui conceptus et genitus est Filius fuit. Ita super altare, quod est figura uteri et sepulcri, Spiritus obumbrat et mutat panem et vinum et iubet ea fieri corpus et Sanguinem Verbi quod quondam caro factum est in utero *Virginis*. Etsi vero Filii est corpus, Spiritus sancti ope, a Patre nobis datur.

Qui pro vobis et pro multis, i. e. : Non pro vobis ipsis tantum, o duodecim discipuli mei, frangendum est hoc corpus, sed pro omnibus qui credent in me : ut frangeretur et immolaretur in cruce dicebat futurum esse.

Et dabitur in remissionem peccatorum; nempe propter duas causas dicit corpus suum fidelibus dandum esse : una quidem ut propitietur pro peccatis eorum; altera ut largiatur eis vitam aeternam in regno caelorum, sicut dixit[6] : «Quicumque manducaverit corpus meum vivet in aeternum.»

[1] Ioh., vi, 41. — [2] Ioh., vi, 52. — [3] Ioh., vi, 54. — [4] Ioh., vi, 58. — [5] Luc., i, 35. — [6] Ioh., vi, 52, 59.

Digitized by Google

ET IN VITAM AETERNAM. Moyses Mossulanus dicit quod quando sacerdos hic pronunciat «in vitam aeternam» non debet cunctari ut sinat populum tunc respondere : «Amen», iuxta consuetudinem quae iam obtinebat et usque modo perseveravit, quia hic locus non est oratio nec deprecatio, sed narratio. Orationis causa decet populum respondere «Amen», non vero propter narrationem. Debet ergo sacerdos sermonem protendere usque dum dixerit : ET RESURRECTIONEM MEAM PROFITEBIMINI USQUE DUM VENIO. Etsi vero Moyses Bar Kēphā ita praecepit, hodie tamen dicunt *fideles* duo «amen» : unum * hic, et alterum quando benedicit *sacerdos* super calicem et pronunciat circa eum similiter : IN VITAM AETERNAM. *p. 63.

SIMILITER AUTEM ET CALICEM POSTQUAM CENAVERUNT VINO ET AQUA MISCENS, CONFESSUS EST, ET BENEDIXIT DICENS : SUMITE : BIBITE EX EO VOS OMNES, i. e. : Quando locutus est de corpore dixit tantum : «Sumite, manducate ex eo, indicans ut omnes discipuli simul manducarent sine impedimento. Quando venit ad calicem, addidit illud : «bibite ex eo omnes vos.» Per hoc : «omnes vos», ostendit fuisse inter discipulos suos viros naziraeos qui non gustarent quidquid producit vinea, secundum legem Hebraeorum. Et verbo «omnes» permisit eis ut communicarent eius sanguini et consuetudinem iudaicam desererent quae iuberet *eos* a vino abstinere.

HIC MEUS EST SANGUIS NOVI TESTAMENTI. Διαθήκη vertitur «testamentum». Si mortuus est qui id confecit, non immutatur in eo quidquam; si vero non mortuus est, non est confirmatum, quia potest mutare in eo quidquid vult. — Quid autem indicat διαθήκη? Respondemus : primo quidem mortem eius qui eam confecit; secundo vero hereditatem quam relinquit eis quos sibi heredes elegit. Porro διαθήκην seu testamentum quod in gratiam nostram scripsit Christus sanguine suo firmavit. Sicut vetus illud Testamentum sanguine agnorum et vitulorum firmatum fuerat, ita Testamentum novum suo sanguine firmavit Christus, sicut dicit Apostolus[1] : «Sine effusione sanguinis non fit remissio». — Quid vero commodi nobis hac διαθήκη seu testamento contulit Christus? Respondemus : nos fecit filios Patris sui in baptismate, et solvit debita nostra et peccata nostra per corpus et sanguinem suum, et paravit nobis regnum caelorum laetitiamque ineffabilem nobis ibi reservatam.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, i. e. sicut videtis me fe-

[1] *Hebr.*, IX, 22.

*p. 64. cisse. — *QUOTIESCUMQUE ENIM MANDUCABITIS PANEM HUNC ET CALICEM, i. e. : Simul ac peccatis vestris propitiabitur mysterium illud quotiescumque illud confeceritis, duo alia facietis : primo, mortem meam commemorabitis; secundo, resurrectionem meam profitebimini.

Sciendum est quod ab Aegypto usque ad cenaculum in corpore et sanguine adimplebatur hoc mysterium typice tantum. A cenaculo vero usque ad adventum ultimum Christi, per corpus eius et sanguinem eius *realiter* conficitur.

MORTEM MEAM ANNUNCIABITIS, ET RESURRECTIONEM MEAM PROFITEBIMINI. Annunciat nempe *sacerdos* et commemorat super sacrificium mortem Domini nostri in carne et resurrectionem suam, ut notum faciat ea quibus sanctificata et redempta est Ecclesia. Commemorando autem mortem *Domini* in carne et resurrectionem eius super panem et vinum, nos hortatur ut sine oblivione constanter ea commemoremus. Iterum : commemoratio mortis et resurrectionis eius super panem et vinum mystice significat resurrectionem praestantissimam filiorum lucis in die octava, et liberationem a mortalitate.

Populus respondet et dicit : MORTEM TUAM DOMINE, i. e. iuxta praeceptum tuum mortem tuam commemoramus, quia per eam mortem nostram mortificasti. ET RESURRECTIONEM TUAM CONFITEMUR, quia nobis pignus fuit resurrectionis nostrae et primiciae vitae novae; ET ADVENTUM TUUM EXSPECTAMUS, ut bibamus tecum genimen spirituale vitis spiritualis in regno Patris tui sicut dixisti. Vinum quidem quod illic cum eo bibemus est scientia nova rerum quas hic ignoramus.

A narratione *rerum gestarum* in cenaculo usque ad orationem oeconomiae quam modo aggrediemur tempus familiae Noe figurat, quando super aquas in arca ferebatur; et sicut in figura arca signabat cenaculum in quo spiritualiter supernatamus[1] diluvio peccati;
*p. 65. *figurabatur liturgia nostra per sacrificia quae obtulit Noe post diluvium.

## CAPUT QUARTUM DECIMUM.

*De mysteriis.* — De eodem argumento loquemur quae congruunt.

Sacerdos : MEMORIAM AGIMUS, DOMINE, MORTIS TUAE et cetera. Hic

[1] Ad litt. : «volamus».

recitat memoriam oeconomiae eius addendo ei laudem : suadeant tibi, o Fili, mysteria tua et Patri tuo ne facias nobiscum secundum peccata nostra; sed parce nobis et miserere nostri in die tremendo adventus tui secundi; accipe etiam haec *mysteria* nunc praecipue propter omnem oeconomiam tuam. — POPULUS ENIM TUUS ET HEREDITAS TUA i. e. : «Populus enim tuus» hic super quem invocatum est nomen tuum : Christiani a Christo scilicet *vocati*, seu messiani a Messia; «et hereditas tua» quam nempe dedit tibi Pater tuus secundum illud[1] : «Postula a me, et dabo tibi gentes in hereditatem tuam», et secundum illud[2] : «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.» Iterum : «hereditas tua» quia promisisti ei quod hereditabit regnum caelorum; TE DEPRECATUR ET PER TE, i. e. nunc ne reputes ei peccata eius, sed parcas ei in die adventus tui. ET PER TE, i. e. effectus ad causam; rursum : sicut mediator inter nos et Patrem. ET TECUM AD PATREM TUUM, i. e. ut consubstantialis et connaturalis Patri.

Populus respondet dicens : MISERERE NOBIS, DEUS PATER, i. e. : Deprecamur te, Deus Pater, per Filium tuum qui factus est mediator, ut indulgeas peccatis nostris, et effundantur super nos misericordiae tuae in adventu ultimo Unigeniti Filii tui.

Sacerdos : ET NOS, DOMINE, GRATIAS TIBI AGENTES, i. e. * nunc propter omnia quae operatus es in nos ab initio et usque ad Incarnationen Filii tui Unigeniti, sive quod creasti me, sive quod ad imaginem tuam me fecisti, sive quod me decorasti dotibus rationis, sive quod tibi curae est de nobis, et cetera. CONFITEMUR TIBI IN HIS OMNIBUS ET PROPTER HAEC OMNIA i. e. propter omnia haec quae largitus es nobis in Incarnatione tua, sive remissionem peccatorum sive adoptionem filiorum, sive regnum caelorum et gaudium quod est in illo, et cetera. *p. 66.

Populus respondet dicens : GLORIFICAMUS TE, i. e. propter omnia quae dixit sacerdos, priora et posteriora, glorificamus te; et BENEDICIMUS TIBI i. e. sicut Cherubim, quia benedixisti genus nostrum, *liberando illud* a maledicto transgressionis mandatorum; ET TIBI CONFITEMUR i. e. quod tu es Deus salvator noster et benefactor noster; ET ROGAMUS TE ut exaudias preces nostras congruas. — Iterum : TE GLORIFICAMUS i. e. quod feceris nos ratione praeditos. ET TIBI BENEDICIMUS, i. e. per os et linguam, quod nobis permiseris ut te glori-

[1] *Ps.* II, 8. — [2] MATTH., XXVIII, 18.

ficaremus; ET TIBI CONFITEMUR i. e. quia nos congregasti de errore peccati.

Ab oratione oeconomiae usque ad invocationem Spiritus *sancti*, figurat aevum patriarcharum [1] et sacerdotii legalis et prophetiarum prophetarum, quo delineata est oeconomia in carne : patriarchae quidem per typos suos, sacerdotium per sacrificia legalia, prophetae iterum per mysteria quae prophetabant super revelationem Domini in carne et resurrectionem eius, vivificam oeconomiam *delinearunt.*

Diaconus dicit : QUAM TERRIBILIS EST HAEC HORA, QUAM TREMENDUM HOC TEMPUS, et reliqua; et postea : IN SILENTIO ET TIMORE STATE, i. e. praeparat populum ad illapsum Spiritus sancti, quia munera Spi-
* p. 67. ritus sancti in silentio * dantur. Deinde in timore : ne fiat ab eis strepitus, et accidat eis quod accidit Israelitis in monte Sina quando dixerunt Moysi [2] : « Loquere nobiscum tu ipse, et non loquatur nobiscum Deus, ne forte moriamur. »

Sacerdos inclinatur : invocatio Spiritus sancti.

*DE INVOCATIONE SPIRITUS SANCTI.* — MISERERE MEI, DEUS PATER, et cetera. Hoc loco de invocatione Spiritus sancti docet liturgia. Decet nos inquirere quare descendat hic Spiritus sanctus super panem et vinum. Ecce enim Filius descendit et unitus est eis personaliter; quare *etiam* descendit Spiritus sanctus? Respondemus : propter eam causam : Sicut enim descendit in uterum Mariae, ut dixit angelus [3] : « Spiritus sanctus veniet » et cetera, et effecit carnem *sumptam* ex Virgine corpus Verbi Dei, ita descendit super panem et vinum quae sunt super altare, et efficit eos corpus et sanguinem Verbi Dei quae ex Virgine *prodierunt*. Iterum respondemus : sicut apud Virginem Mariam voluit Pater Filium corporari, Filius vero descendit in uterum Virginis et corporatus est ex ea, descendit etiam Spiritus sanctus ad Virginem sanctam ut corporaret Filium ex ea, ita et hic apud altare, Pater quidem vult Filium uniri personaliter pani et vino, et ideo sacerdos deprecatur in timore et enixe orat, corde suspiranti secreto ad Deum et Patrem et petit ab eo quasi a causa sine tempore Filii et Spiritus, a quo cuncta bona data descendunt, ut mittat super se et super omnem populum fidelem qui post se stat et super mysteria altari imposita Spiritum suum sanctum; et quia multi sunt spiritus, describit hunc

[1] Ad litter. « patrum ». — [2] *Exo.*, XX, 19. — [3] Luc., I, 35.

Spiritum ita loquendo : SPIRITUM TUUM SANCTUM, DOMINUM ET *VIVIFICANTEM, id est : Spiritus ille Dominus est; vitam quoque omnibus rationalibus *creaturis* et angelis, et omnibus viventibus largitur. AEQUALEM IN THRONO id est : aequalem in essentia et divinitate Patri et Filio; est etiam aeternus et rex sicut illi. Deinceps adducit imagines et similitudines alias velut : QUI LOCUTUS EST IN LEGE ET IN PROPHETIS, et cetera. — Iterum : recipit hostia illapsum Spiritus sancti sicut et *recepit* Filius secundum carnem, quatenus caput nostrum, in Iordane flumine; rogat *sacerdos* ut mittatur Spiritus super corpus et sanguinem, quemadmodum olim obumbravit Virginem. *p. 68.

Iterum : per invocationem Spiritus sancti significatur quod stetit Gabriel coram Virgine et nunciavit ei de sancta conceptione. Iterum : per invocationem Spiritus sancti, significatur unio mystica et supra omnem cogitationem quam cum virtute illa sanctificanti quae omnia tenet participamus mente non passiva nec materiali.

Deinde dicit sacerdos : EXAUDI ME ET MISERERE MEI, i. e. Moyses Bar Kēphā dicit sacerdotem recitare : *κύριε ἐλέησον*, hoc est : Domine, miserere mei, quia per fidem sensit descendisse Spiritum sanctum et perfecisse et consummavisse mysteria; clamore vehementi clamat ad Patrem : «Domine, miserere mei», nam *κύριε ἐλέησον* vertitur : «Domine, miserere mei.» In Occidente vero et secundum traditionem recentiorem quae hodie viget, sacerdos, ut supra diximus, syriaca lingua recitat : EXAUDI ME, DOMINE, ET MISERERE MEI, i. e. extollens vocem ut agat in populum quatenus et ipsi *fideles* similiter dicant.

Tunc dicit populus tribus vicibus : KYRIE ELEISON, seu «Domine, miserere mei.» Quod autem tribus vicibus recitent Kyrie eleison, indicat instantem deprecationem.

*Erant olim sacerdotes indocti qui manibus frontem percuterent ad hunc locum ac si alicuius suorum actorum eos paeniteret. Moyses Bar Kēphā dicit : «non esse huiusmodi rei ullam connexionem, quia dona Spiritus dantur in silentio, non in tumultu; rursum : quia sicut in silentio et quiete descendit Verbum Dei super Mariam ut incarnaretur ex ea, non vero in clangore et tumultu, ita et ibi tacite descendit et unitur personaliter pani et vino quae sunt super altari. Iterum : quia non spiritum servitutis accepimus ut tumultuaremur, sicut Israelitae quando veniebant dona super eos, quia ei erant in typo servorum; verum accepimus nos spiritum adop- *p. 69.

tionis filiorum in quo clamamus : « Abba, pater », sicut dixit Apostolus[1]. Filii quidem sumus, nec nos decet conturbari. »

UT ILLABENS EFFICIAT PANEM, i. e. illabitur spiritus sanctus quem ut mitteret Pater rogatus est. — Et populus dicit : AMEN, i. e. fiat sicut dixisti.

Postquam autem invocavit sacerdos Spiritum sanctum erigitur ab inclinatione dicendo : UT ILLABENS, et deinceps signat hostiam tribus crucibus, et similiter tribus calicem, ut ostendat Verbum Deum per voluntatem Patris descendisse et habitavisse in mysteriis et perfecisse eos per Spiritum sanctum : panem quidem ut fieret corpus, et mixtionem in calice ut efficeret eam sanguinem. Iterum : per triplicem signationem crucium super corpus et sanguinem, indicat illud[2] : « Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi obumbrabit tibi ». Quod autem postquam sanctificata est hostia habitet in ea Verbum, simile est ei quod postquam sanctificata est Virgo per Spiritum sanctum habitavit in ea Verbum Deus. Quod
*p. 70. vero voluntate Patris sui * per illapsum Spiritus sancti perfecerit panem in corpus et vinum in sanguinem suum, simile est ei quod voluntate Patris sui per Spiritum sanctum suum sine mutatione homo factus est ex Virgine. Quod denique de pane et virtute Patris unum corpus caeleste *efficiatur*, symbolice repraesentat quod ex divinitate et humanitate una *efficitur* natura incarnata et hypostasis composita; et unio illa sacramentalis symbolice repraesentat unionem naturalem et hypostaticam Verbi cum eius carne.

Deinde sacerdos recitat *alta* voce : UT SINT OMNIBUS QUI EX EIS SUMENT, et cetera. — Erant olim sacerdotes qui introducerent additamentum in ea oratione, infra, eo modo : LIBERA EAM AB OMNI HAERESI, ET A SCANDALO OPERANTIUM ILLEGITIMA « in aeternum »; cum non dicerent : USQUE AD CONSUMMATIONEM MUNDI; PER GRATIAM, et cetera, sicut hodie recitamus. Postea doctores e medio abstulerunt illud « aeternum » et emendaverunt *orationem* secundum traditionem quae hodie viget in Ecclesia; cum dicerent post consummationem mundi non fore impietatem aut haereses ut adderemus : « in aeternum ».

[1] *Rom.*, VIII, 15. — [2] Luc., I, 35.

Digitized by Google

## CAPUT QUINTUM DECIMUM.

Iterum virtute divina confisi, *alia de eodem argumento* addemus; caput tertium liturgiae hic incipit.

Decet sacerdoti in inclinationibus et extensionibus unum finem esse : ut oret secreto et aperte pro eis quae vult. Quando recitat inclinationem populo indicat pro quibus oret; quando recitat verba secreta, etiam hortatur eos ut et ipsi deprecentur pro quibus deprecatur. *Quando sacerdos extendit *manus* pariter aperte petit a *p. 71.
Deo, et iterum populum monet pro quibus oraverit cum inclinaretur.

Diptycha sex sunt : syri «canones» ea vocant. Diptycha interpretantur : duplicis significationis, seu duplicis tabulae, a graeco in syriacum. Tres porro sunt canones vivorum, et tres alii mortuorum. Sed hic decet sermonem extolli ut vituperet Armenos qui non offerunt sacrificium pro vivis. Si enim in liturgia commemorationes tres priores propter vivos sunt : pro sacerdotibus scilicet, et pro populo, et pro regibus, quare vos inscitia quadam commemorationem vivorum super altare neglegitis? Si enim vivus impius sit, aut impaenitens, aut incidat in peccata mortalia, nec nos decet eius meminisse super altare, quia mortuus est et laborat peccato mortali, ut apostolice loquamur. Ita superius expresse declaravimus. Si autem eum paeniteat peccatorum suorum et paenitentiam obtulerit, sicut filius prodigus, decet pro eo sacrificium offerri. Cum vero amplam disputationem adversum Armenos hac de re scripserimus, nunc aequum est rem illam nos praescindere et reverti ad *καμπτόν* sive metam.

Iterum dicimus : quandocumque «liber vitae» non legitur nihil minui debere a diptychis seu canonibus; primum propter mysterium quod eis inest : tres et tres; deinde quia et pro pace quattuor plagarum *mundi* rogant. At erant quondam viri qui omitterent canonem regum propter oppositionem et malitiam regum graecorum erga populum nostrum. Adversus eos dicimus : Etsi sunt reges pagani et alii, ad modum Chalcedonensium, qui adversarii nostri sunt, verum sunt *etiam reges fideles[1] quibus nullo modo curae sit *p. 72.
oppositio «naturarum» et «naturae»; et cum pro pace regnorum

[1] I. e. *musulmani.*

et quattuor plagarum mundi aequum sit nos rogare, idcirco recitetur canon regum. De his quoque fuse in libro primo de confutatione Chalcedonensium, id est Melchitarum, scripsimus, quando de eorum consuetudinibus et moribus locuti sumus.

Rursum : sex inclinationes sunt, pariter etiam sex extensiones; in singulis autem inclinationibus et extensionibus notum manifestumque est propter quos ordines oret et deprecetur sacerdos. Post singula diptycha diaconi, non decet populum respondere et dicere : «Amen. Domine, miserere nobis», vel : «pro omnibus et propter omnes», quia hae responsiones sunt corruptiones quaedam, nec pro omnibus ordinibus ecclesiasticis et laicis tunc rogat *sacerdos*. Porro decet populum post *omnia* diptycha diaconi dicere : KYRIE, ELEISON, i. e. : «Domine miserere nobis» *semel* tantum, iuxta consuetudinem quae hodie obtinet in Occidente et pariter in Septentrione apud Graecos. Hoc quoque notum est : aliquando omittitur «liber vitae», vel etiam diptycha seu canones ut plurimum recitantur tempore mysteriorum; quod quidem accidit propter neglegentiam et segnitiem quae regnabant ubique.

Post confectionem mysteriorum, incipit *sacerdos* commemorationes; primum quidem pastorum et sacerdotum, ecclesiae et omnium eius ordinum: Regum, Apostolorum, Deiparae, Prophetarum, Patrum, Martyrum, Doctorum, Defunctorum. Iterum quod compleantur super altare commemorationes pro vivis et defunctis significat quod etiam Dominus noster post baptismum vitam omnibus adnunciavit et beneficia largitus est, et operatus est mirabilia usque ad crucem. Rursum : ordo commemorationum illam commemorationem infalli-
*p. 73. bilem Dei *quae fit* ab omnibus mentibus *sanctorum significat, quae nunquam cessabit, sed in aeternum durabit.

Post inclinationes et extensiones, in fine extensionis defunctorum, dicit sacerdos : NULLUS HOMINUM MUNDUS EST A PECCATIS, NISI DOMINUS NOSTER IESUS CHRISTUS TANTUM. Addit : PER QUEM ET NOS SPERAMUS MISERICORDIAM INVENIRE ET REMISSIONEM PECCATORUM QUAE PER EUM ET NOBIS ET ILLIS EST, i. e. per Christum, seu per immolationem eius; et propter eum speramus et exspectamus ut misericordiam inveniamus apud Patrem et remissionem peccatorum, nos et mortui fideles quos commemoravimus.

Populus dicit : REQUIEM DONA ET PARCE, i. e. : Requiem dona *eis* in sinu Abrahae, nobis quoque post exitum nostrum.

(*Sacerdos pergit* :) ET DIMITTE, ET AUFER, ET REMITTE PECCATA NOSTRA

ET PECCATA EORUM, VOLUNTARIA ET INVOLUNTARIA, SIVE SCIENTER PECCAVERIMUS SIVE IGNORANTER. Ex quo novimus quod ulciscetur Deus peccata voluntaria et involuntaria, scienter aut ignoranter commissa. Nisi enim ea ulcisceretur, non rogaret Ecclesia pro eis. UT IN HOC SICUT IN OMNIBUS i. e. cum omnibus beneficiis tuis erga nos, etiam in hoc, *laudemus te* : LARGIRE NOBIS FINEM CHRISTIANUM ET PROPITIATIONEM. — Propter ea omnia te glorificamus, et laudamus nomen tuum magnum et *nomen* Filii tui Domini nostri Iesu Christi et Spiritus tui sancti.

Populus : SICUT ERAT; i. e. illud «erat» tempus praeteritum significat; «in generationes generationum» tempus futurum; «in secula seculorum, Amen», ambos *ordines* seculorum significat. — «Amen» i. e. : verum. Etiam «Amen» i. e. : fiat. Etiam «Amen» est perpetuitas et permanentia. «Amen» est *mensura cubiti; tres *p. 74. amīn tria cubita sunt. — Iterum : Sicut erat in praeterito nomen tuum, Pater, et nomen Unigeniti Filii tui, et Spiritus tui sancti laudandum et glorificandum, ita est adhuc in tempore praesenti, et ita quoque in tempus futurum permanebit. Nec solum in hisce tribus temporibus est glorificandum, sed in utroque mundo : in hocce et in futuro.

Hoc loco non debemus neglegere illud : «ET»; sicut solent quidam recitare : «Sicut erat, est»; sed dicere : SICUT ERAT, *et* EST. Sacerdos enim ita loquitur : «Propter cunctas bonitates tuas et etiam propter hanc» nempe «quod largiaris nobis finem christianum et propitiationem, laudamus et glorificamus nomen tuum, Pater, et *nomen* Filii tui Unigeniti et Spiritus tui sancti». Idcirco populus respondet dicens : «Sicut glorificandum erat et laudandum in tempore praeterito, et est in tempore praesenti; ita erit in tempore futuro.

Alii dicunt de Filio tantum haec sumi *quasi intellegatur* : «Sicut erat et est et permanebit in generationes generationum», id est : «Sicut erat Deus priusquam incarnaretur, est etiam Deus postquam incarnatus est, et permanebit in carne Deus, etiam in secula seculorum». Sed haec interpretatio non est fidelis; ex hoc patet quod sacerdos ita dicat : «Ut in hoc sicut in omnibus *beneficiis* glorificetur et laudetur nomen tuum omnino venerandum et benedictum cum *nomine* Domini nostri Iesu Christi et Spiritus sancti». Porro sicut dixit sacerdos, ita decet populum respondere : «Sicut erat ET est». — Moyses Bar Kēphā interpretationem mediam, de tribus personis proponit, et congruens est eius sententia. — Iacobus Edessenus eis qui

Digitized by Google

*p. 75. de Filio id interpretantur consentit.* «Sicut erat et est», i. e. : priusquam incarnaretur Deus *est* et post mortem Deus *est* et permanet in corpore sine corruptione; «in secula», id est : sine termino est divinitas eius; «seculorum» i. e. quae est incomprehensibilis. — Alii interpretantur «sicut erat» id est : hoc declarant immutabilitatem eius et excellentiam eius et constantiam essentialem Dei, etiam in operationibus «ad extra» et in donis quibus nos *cumulavit* secundum quod dicitur ab Apostolo[1] : «Iesus Christus, heri et hodie : ipse et in secula».

Dicit sacerdos : SIT MISERICORDIA DEI MAGNI ET SALVATORIS; i. e. : hoc sacrificium quod oblatum est semel in cruce amoris *sacrificium* est, et per misericordiam datum est vobis; vobiscum est, et in vobis futurum est etiam tunc *in caelo* secundum quod dixit Iesus[2] : «Ipse in me manet et ego in eo».

Ab invocatione Spiritus sancti usque ad «catholicam» repraesentat *liturgia* tempus Nativitatis Domini nostri usque ad Resurrectionem eius. Nam, postquam complevit oeconomiam suam sacrificatus est in ligno : sacerdos pariter postquam complevit mysteria frangit et signat ea.

## CAPUT SEXTUM DECIMUM.

Statim incipit diaconus «catholicam», id est universalem *orationem*, scilicet quae universa memorat. Quidam dicunt Apostolorum aetate non exstitisse catholicam hanc, quae vocatur a rudibus : ETIAM ET ETIAM, sed Patres qui post eos venerunt eam convenienter introduxisse ut proclamaretur post diptycha ne circumvagaretur mens
*p. 76. populi *in silentio, dum perficit sacerdos operationem mysteriorum. — «Catholicae» plures sunt; quaedam orthodoxae, quaedam non congruentes; quaedam recitantur soluta oratione, quaedam vero metrice et ad modum responsorii. Quae sic incipit : «Etiam atque etiam... et pro eo quod sine inculpatione et sine confusione»; et haec : «Etiam atque etiam... nunc sacrificium divinum completum est», rectae et probatae sunt.

Olim ante catholicam dicebat diaconus : MISERICORDIAM A DOMINO PETAMUS. Quod quippe cum superfluum esset suppresserunt doctores. Dum diaconus recitat «catholicam», sumit sacerdos hostiam in

[1] *Hebr.*, XIII, 8. — [2] IOH., VI, 57.

Digitized by Google

manibus silenter et tacite, non vero sicut Cyrrhenses inepti qui olim docuerunt ut clamaret sacerdos alta voce priusquam diaconus «catholicam» inciperet : PANEM CAELESTEM FRANGIMUS, et cetera. Quibus obstiterunt Georgius patriarcha[1], Cyriacus[2] et Dionysius patriarchae[3], et reliqui doctores; et ostenderunt opinionem Nestorii in his verbis eorum *Cyrrhensium* doctrinam sapere.

*De fractione.* — Sed cum sumpsit sacerdos hostiam in manibus, ut diximus, dum frangit eam in duas partes, ostendit quod vere Verbum passum est carne, et quod sacrificatum est, et fractum est in cruce. Dum sumit iterum de corpore particulam et intingit *eam* particulam in sanguine et cum ea signat super corpus, cum prius particula quam in manu tenet, in latere «divisionem» id est partem quae est in patena, pupugerit, ostendit Christum in latere lancea confossum fuisse. Cum postea signat totum corpus, ostendit hoc occisum suo sanguine conspersum fuisse *et* in cenaculo quando dixit *Iesus* : «hic est sanguis meus» *et in cruce quando apertum *p. 77.
est latus eius lancea, et fluxit ex eo sanguis et aqua, et conspersum est eis *corpus*. — Iterum : cum adducit aliquantulum sanguinis et signat super corpus in crucis modum, unionem animae cum corpore efficit, et ostendit quod postquam separata est anima Verbi ab eius corpore, reversa est anima et unita est corpori, dum eius divinitas nullo pacto divisa est a corpore aut ab anima eius, nec separabitur. Panis quidem est corpus Verbi Dei : vinum est anima eius; nam sanguis est typus animae, secundum id quod scriptum est[4] : «Anima omnis carnis sanguis est». — Cum iterum, postquam sanguine signavit super corpus, unit et iuxtaponit ambas partes hostiae inter se : ita significat et demonstrat Emmanuelem unum esse, nec divisum post unionem in duas naturas. Iterum, ostendit quod postquam immolatus est in cruce pacificavit per sanguinem crucis suae et univit et coadunavit caelestes cum terrestribus et populum cum Gentibus et animam cum corpore. — Quod etiam in orbem ducit hostiam circumcirca : exprimit et indicat quod pro peccatis orbis universi immolatus est in cruce. Iterum, quod circumducit panem signatum, id est hostiam, a dextera prima vice in orbem, ut diximus : docet pro iniquitatibus totius mundi *Christum* immolatum fuisse. Quod autem secunda vice a sinistra parte

[1] Patriarcha Iacobitarum (758-790). — [2] Patriarcha Iacobitarum (793-817). — [3] Patriarcha Iacobitarum (818-845). — [4] *Lev.*, XVII, 14.

gyrat in dexteram, ostendit quod nos convertit Dominus a sinistra agendi ratione, id est errore, ad dexteram. — Quod confodit divisionem hostiae, ut supra diximus, ostendit Dominum in carne confossum fuisse. Quod partem parti imponit, manifestat quod postquam immolatus est *Christus* univit caelestes terrestribus et animam corpori et populum Gentibus.

*p. 78. Et quare aliquantulum sanguinis ad corpus *adducit, et signat, non vero aliquantulum corporis admovet sanguini? Respondemus: quia sanguis anima est. Porro, anima venit et unita est corpori Verbi, cum surrexit a mortuis in carne; non vero corpus ivit et unitum est animae. — Propter quid sumit particulam consecratam[1] e corpore et mittit eam in calicem? Respondemus: ut sciatur quod hic sanguis huius corporis est, et hoc corpus eius sanguinis est, non alterius. Iterum, mittit particulam in sanguinem, ut indicet quod idem ipse cuius est corpus hoc, et idem ipse cuius est hic sanguis, sacrificavit seipsum in cruce pro nobis. Iterum, ponit particulam in sanguine ut ostendat quod etsi in duobus vasibus ponuntur corpus et sanguis, unum tamen corpus revera est proprium Dei Verbi. Rursum, postquam proiecit particulam corporis in sanguinem, dum frangit corpus in plures partes, ipse *sacerdos* facit sicut fecit Dominus noster, qui corpus suum fregit et divisit in cenaculo. Iterum, particula[2] quae est in calice proclamat quod hic sanguis huius corporis est, et unus mactatus in sanguine et corpore. Quod ponitur seorsum altera pars: sicut membrum quod maxime praestans et principale est, ideoque datur eis qui perfectiores sunt ceteris.

Rursum: frangit corpus in «margaritas», i. e. particulas plures quae sufficiant omnibus fidelibus. Decet sacerdotes prudentes ut cum communicant corpore Domini nostri pueros, non frangant unam particulam in duas aut tres partes; sed unam particulam integram singulis tribuant, et integre detur crux in unaquaque particula, ne signum crucis, quod est super particulam *impressum*, corrumpatur in fractione, sicut faciunt sacerdotes ignorantes mysterium Christianorum et avari.

*p. 79. Sacerdotes veteres non *auferebant partes corporis quas miserant in calicem, sed in ipsis calicibus deferebant eas fidelibus, quas videntes *fideles* ex eis intellegebant et percipiebant hunc sanguinem

[1] Gmurthā «carbo»; etiam «particula consecrata quae ab hostia separatur». — [2] Margānithā, i. e. «margarita», alterum nomen est particulae.

Digitized by Google

qui est in calicibus huius corporis esse quod antea sumpsissent, cum cogitationibus reliquis quas supra exposuimus; postquam autem reducerentur calices sanguinis ad altare, sumebant eas particulas qui ministraverant calicibus. Haec consuetudo optima erat et mystica, diciturque servari adhuc apud Chalcedonenses, id est Melchitas.

*De cruce et mysteriis eius.* — Quare sacerdos cruce signat corpus et sanguinem? Respondemus : ut sanctificentur, quia quidquid in ecclesia sanctificatur cruce sanctificatur, perficitur, consummatur : sive chrisma[1], sive baptismus, sive corpus et sanguis, sive altare, sive templum, sive ordinatio[2] et cetera, ut dixit Mar Severus patriarcha oecumenicus in antiphona Crucis responsorii primi : «Crux est quae sanctificat generationem novam baptismi; consummat et perficit sacrificium rationale et incruentum et omne ministerium et confectionem et perfectionem mysteriorum». — Quare cruce sanctificatur et perficitur quidquid in Ecclesia sanctificatur? Respondemus : Crux ipsum Christum figurat, ipse autem sanctificat nec sanctificatur. Quanquam sunt in Ecclesia aliae figurae quae ipsum *Christum* designent, in ipsa tamen cruce tota oeconomia perfecta est. Erubescant ergo Armeni qui crucem baptizant. Si enim crux Christus est, hic Christus quare baptizatur? vel forte duos Christos possident, ut Nestoriani et Chalcedonenses, et unus Christus alterum baptizat?

**De crucibus mysteriorum; quot sint?* — Requiritur ut notum *p. 80.
faciamus de crucibus corporis et sanguinis et de locis quibus signantur. Respondemus eas cruces esse duodeviginti quarum novem super corpus et novem super sanguinem. Signantur autem tribus locis super corpus. Primo : quando dicit *sacerdos* : «Cum sumpsit panem in manibus suis»; secundo : quando dicit : «Illabens efficiat panem hunc corpus Christi»; tertio : quando frangit et consignat.

Quare tribus vicibus et tribus locis signat cruces? Respondemus : ut notum faciat quod hoc corpus et sanguis sunt unius de Trinitate, *scilicet* Verbi Dei, Filii Patris. Rursum, ut mystice repraesentet sepulturam et resurrectionem post tres dies. — Rursum respondemus : tribus vicibus et tribus locis signat sacerdos cruces super corpus et sanguinem, ut, prima vice, ubi dicitur : «Cum sumpsit panem in manibus», notum faciat quod Pater volet, Filius consen-

[1] *μῦρον.* — [2] *χειροτονία.*

Digitized by Google

tiet, Spiritus sanctificabit; secunda vice, ubi dicitur: «illabens», ut demonstret Patrem esse beneplacentem, et Filium beneplacitum, et Spiritum perficientem; tertia vice, ubi frangit et signat, ibi ostendit Patrem voluisse, Filium annuisse, Spiritum consummavisse [1].

Decet etiam nos hic loqui de crucibus quas format *sacerdos* et super seipsum et super clericos et super populum. — Primo dicimus in liturgia non licere omnino cuiquam ex clericis aut ex populo formare cruces super se; sed sacerdos qui offert ipse format crucem super seipsum et super mysteria et super clericos et
*p. 81. super populum.* Prima vice ubi dicit : «Caritas Dei Patris»; secunda vice ubi dicit : «Sit misericordia Dei»; tertia vice ubi dicit : «Sit gratia Trinitatis»; quarta vice post sumptionem *mysteriorum*, ubi populum commendat et dicit : «Convertere in nos in misericordia et gratia; et benedic populum tuum et serva hereditatem tuam». Hodie, pro hac quarta *vice*, scilicet : «Convertere in nos in misericordia et gratia» et cetera, in oratione «Benedic nos omnes», nempe in eius fine cum dicimus : «Commendamus vos» et cetera, facimus unam crucem super populum.

In tribus locis prioribus quos enumeravimus, signat primum sacerdos crucem unam super seipsum et unam super clericos qui a sinistris eius sunt et aliam super clericos qui ad eius dexteram sunt; et tres super populum qui post se stat. Si vero non sint sacerdotes et diaconi a dextris aut a sinistris eius, non necesse est ut signet super dexteram nec super sinistram partem, sed super populum tantum; si autem nec stet populus post eum *sacerdotem*, neque ullus quispiam, non necesse est ut signet crucem super quamlibet regionem *mundi* sed super seipsum tantum.

Iterum dicimus quod hostia per sacerdotem consecrata et fracta super altare ordinatur in remissionem et propitiationem vivis et mortuis, unicuique secundum meritum suum, sicut et ipse Dominus consecravit seipsum pro nobis, et immolatus est in carne super lignum, et nos mundavit a peccatis nostris, et propitiatus est omnibus. Signatur et adunatur hostia sanguini, sicut et ipse Dominus noster univit animam suam corpori, quando surrexit de sepulcro.

[1] Sic vertendum putamus, neglectis codicum punctis, et ita ni fallimur, paullo clarior evadet sententia quam ferme eisdem verbis enunciatam iam supra invenimus, p. 41, l. 23. Hic vero addit C : In oratione «credidimus» signantur cruces XVIII aliae; et sunt omnes cruces super mysteria XXXVI, quod significat XXXVI ictus flagellorum quibus verberatus est Dominus noster a Pilato.

Digitized by Google

Sumit etiam sacerdos panem in manibus suis, ut manifestum faciat quod passibilis et corruptibilis non est, sed impassibilis et incorruptibilis et vivificans. Signat tres cruces super hostiam et tres super calicem, quasi quod per Trinitatem completa sit tota operatio mystica,* ut supra scripsimus. Idem asseruit Iacobus apostolus in *p. 82. ipsa liturgia quam nunc interpretamur, in oratione «Pater noster qui est in caelis» cum dixit : QUI OBLATIONES ET PROVENTUS FRUCTUUM TIBI OBLATA IN ODOREM SUAVITATIS DIGNATUS ES SANCTIFICARE PER PARTICIPATIONEM[1] UNIGENITI FILII TUI ET ILLAPSUM SPIRITUS. Quod autem fractione compleat sacerdos operationem mysticam, figurat quod postquam complevit Dominus noster oeconomiam suam mysteria quae ad eum spectabant complevit in cruce. Quod vero frangat et consummet : unionem corporis et sanguinis sacramentalis *figurat*. Per signationem crucium, *figurat* sacrificatum fuisse *Dominum* in carne super lignum. Iterum, cum hostiam frangimus et signamus sanguinem signo crucium, sacrificium illud mysticum praefiguramus quo in mundo futuro consecrabuntur omnes mentes spirituales, et signabuntur imagine divina.

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

*DE MYSTERIIS.* — Finis totius capitis quarti liturgiae quod nunc tractamus, ad Patrem spectat. Dicit enim sacerdos : DEUS, PATER DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, et hac oratione deprecatur Patrem ut mundet et sanctificet spiritus nostros et corpora nostra; ut in puritate orationem quam docuit Dominus noster discipulos suos recitemus. ET IN VULTU INCONFUSO, id est : quem non pudeat, propter iniquitatem transgressionis mandati[2], nec pudeat propter iniquitates proprias quas ipsi commiserimus; AUDEMUS TE INVOCARE, DEUM, i. e. : Etsi forte cum mundi simus, recitamus orationem illam, quod non licet creaturis : quia nemo est sine peccato, audacia tamen est nos orare oratione illa.* Iterum audacia est quod cum simus *p. 83. lutei et creati vocemus Deum caelestem Patrem nostrum. Nosse decet quod Deus Pater per baptismum nobis factus est pater : dixit enim ad Filium dum baptizaretur[3] : «Hic est Filius meus». Per illud : «hic est Filius meus», non filium quidem eum fecit, ut

[1] Ita codd. nostri; sed textus liturgiae rectius habet «per gratiam». Cf. p. 28, l. 9. — [2] I. e. : propter peccatum originale. — [3] MATTH., III, 17.

Digitized by Google

aiunt haeretici : erat enim natura et ab aeterno eius Filius, cuius generatio transcendit initium et tempus; verum quia absconditus erat et reconditus quando incarnatus est et baptizatus, detexit eum et manifestavit eum *his verbis :* «Hic est Filius meus dilectus». Cum ergo diceret : «Filius meus», expresse declarabat quod esset filius eius naturalis qui erat absconditus, et revelatus est carne; cum vero diceret : «hic» est filius meus : per eum omnes fideles qui baptizati fuerint filios suos vocavit.

DE (*ORATIONE :*) PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS, *ET EIUS INTERPRETATIONE.* — Idcirco simul ac baptizati sumus recitamus : «Pater noster qui es in caelis»; et postquam complevit sacerdos orationem, clamat populus et dicit : «Pater noster qui es in caelis» et cetera. Interpretationem huius orationis prolixe exposuimus in *commentario nostro de* Evangelio Matthaei; hic vero brevius dicemus.

PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS; i. e. : Pulchre statutum est hanc orationem in liturgia recitari, quia docet christianos doctrinam Filii et demonstrat paternitatem Patris bonitate eius erga nos, et filiationem nostram, ut gaudeat anima nostra quod talem Patrem habeamus ut nos timeat malignus qui pugnat adversum nos. — PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS, i. e. : Patrem eum vocamus per baptismum, et patrem nostrum eum dicimus communem quia unum corpus sumus, divites et pauperes, et debemus orare pro omnibus. — QUI ES IN CAELIS, i. e. : Elevans nos a terra ad caelestia. — SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, i. e. : Laudetur apud nos nomen tuum, dum bona facimus; et nos etiam sanctificemur quos dignos reputasti qui filii tui
*p. 84. fieremus. — ADVENIAT *REGNUM TUUM, i. e. : Veniat auxilium tuum, etiam Spiritus sanctus, et eripias nos a Calumniatore qui vult regnare super nos. Iterum : REGNUM TUUM, i. e. : Imperium Unigeniti Filii tui qui super omnia regnaturus est. — FIAT VOLUNTAS TUA, i. e. : Fiat voluntas tua in nobis. Sicut angeli custodiunt mandata tua in caelis, ita et nos super terram. Iterum : UT IN CAELO, i. e. : sicut in caelo est requies a bello et apostasibus et fit voluntas tua, in angelis nempe, ita et in terra adimpleatur voluntas tua, non autem voluntas Calumniatoris. — DA NOBIS PANEM, i. e. : Cibum corporis, non autem divitias. Iterum : PANEM COTTIDIANUM DA NOBIS, non multa, quae immoderate ventri inserviant. Per hoc : HODIE, monet ne solliciti simus de illis *bonis* quae transeunt, sed de futuris et stabilibus. — DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, i. e. : culpas et peccata quae commisimus. — SICUT ET NOS : Per veniam, veniam res-

Digitized by Google

taurat; pro gutta quam remittimus, mare magnum peccatorum remittit; et sic nos ab ira cohibet. — NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, i. e. : tribulationem, quia debilis est natura nostra; ne deficiamus. SED LIBERA NOS A MALO, i. e.: a Calumniatore, quia multae sunt insidiae eius in nos, et non est nobis virtus ut cum eo pugnemus. — QUIA TUI EST REGNUM, i. e. : Non transit nec mutatur regnum tuum ut *regnum* regum terrestrium : idcirco non decet nos timere, quia nihil est quod possit adversum nos stare. ET VIRTUS, i. e. : Virtus tua omnes virtutes creaturarum fert. ET GLORIA, i. e. : Laudes superiorum et inferiorum *ordinum*[1] tibi offerentur in secula seculorum.

Rursus : dicitur oratio «Pater noster qui es in caelis,» communiter, quod indicium est paternitatis eius communis et filiationis spiritualis, et distinctionis fidelium ab infidelibus. Universus populus orat orationem «Pater noster qui es in caelis»* enixe *p. 85.
deprecantes ut sancte sanctificentur, quatenus, sicut decet sanctos, divinitatem sanctificent, et sancte digni reddantur participatione mysteriorum. — Iterum, per orationem : «Pater noster qui es in caelis», laudem dicimus ei qui nos dignos iudicavit participatione et familiaritate cum ipso. — Iterum; per orationem «Pater noster qui es in caelis» : indicatur paternitas illa quae cuncta genuit, et perficit omnia in vita incorruptibili quam possidebunt perfecti per participationem perpetuam, quando digni erimus beatitudine ventura. — Aliud quoque nosse decet : sacerdos debet prior incipere : «Pater noster qui es in caelis» sicut lingua in corpore; deinde vero fideles subsequuntur.

Dicit iterum sacerdos : ETIAM, DOMINE DEUS NOSTER, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, i e. : rogat Patrem ut accipiat orationem quam recitavit et pronunciavit populus. Postea dicit sacerdos : PAX OMNIBUS VOBIS, i. e. : monet eos ut liberi a timore et in pace sint secum et cum aliis, quatenus digni efficiantur sumptione mysteriorum vivificorum.

Statim diaconus praecipit populo, dicens : CORAM DOMINO CAPITA NOSTRA INCLINEMUS, i. e. : praecipit eis : inclinate capita vestra coram Deo, quia sacerdos hanc orationem facit pro vobis et propter vos et offert eam ad Deum; vos vero inclinate capita vestra coram Deo quem deprecemini ut largiatur vobis quae petit sacerdos.

[1] I. e.: angelorum et hominum.

Dicit populus : CORAM TE DOMINE DEUS NOSTER, i. e. : coram te, Domine, inclinamus capita nostra, sicut iussit diaconus.

Sacerdos orat, dicens : TIBI INCLINAVERUNT SERVI TUI CAPITA SUA: rogans Patrem pro eis hac oratione, ut mittat super eos misericordiam et benedictionem, quatenus cum puritate convenienti sumant mysteria vivifica et sancta. — Sacerdos dicit : PAX OMNIBUS
*p. 86. VOBIS, i. e. : pax quam ibi dat eis *est pacis instar quam dedit Dominus discipulis suis post resurrectionem suam quando intravit ad eos in cenaculum et dixit eis : «Pax vobiscum.»

Deinde dicit sacerdos : SIT GRATIA TRINITATIS, i. e. : hoc dicit eis: haec mysteria quae sanctificata sunt et perfecta sunt et completa sunt propter vos et quae mox sumpturi estis, gratia Trinitatis vobis donata sunt, cum non sint extra Trinitatem aut sine Trinitate, sed unius personae ex Trinitate sint, i. e. : Filii qui corporatus est. — Iterum : dat pacem populo et signat eos tribus crucibus in nomine Trinitatis sanctae quae servat et perficit et consummat universa.

Statim diaconus dicit populo : IN TIMORE ADSPICITE, i. e. : In timore et tremore adspicite haec mysteria mundo altiora quae extollit sacerdos et ostentat coram oculis vestris.

Sacerdos extollit et ostentat mysteria, clamans et dicens : SANCTA SANCTIS, quasi dicat : mysteria haec sunt sanctificata et sancta et vivifica : sanctis danda sunt. Rursum : SANCTA SANCTIS, i. e. : animae et corpori et menti quae sanctificata sunt tribus consecrationibus : aqua, igne, spiritu; Patre, Filio, Spiritu Sancto. Est etiam imago quaedam Dei in compositione hominis : Anima sicut Pater, corpus sicut corporeitas Filii, mens sicut Spiritus Sanctus, et sic sumus similitudo quaedam Dei. Iterum : SANCTA SANCTIS, i. e. : sancta ut a sacerdotibus puris *confecta sunt*, ita puris dantur et dividuntur. Qui igitur sumit dum mundus non est, reus est, quia non discernit corpus Domini. Iterum : SANCTA SANCTIS, i. e. : his qui sanctificati sunt tribus consecrationibus : signaculo et signatione et sigillo
*p 87. quibus quasi margaritis *ornati sumus, et filii Dei facti sumus. Ne proiiciamus eas ante porcos, sicut filius prodigus. — Rursum : sursum elevantur mysteria et gestantur manibus sacerdotis dum clamat : SANCTA SANCTIS. Id significat adscensionem Domini nostri in caelum et quod magnifice virtutibus angelicis sanctificatus est. Quod iterum elevat patenam et calicem sursum in aera, significat quod in nubibus exaltatus est Dominus noster et adscendit in glo-

Digitized by Google

riam suam. Iterum : SANCTA SANCTIS, quia largitus est nobis ut sancte glorificaremus eum et contrectaremus eum et misceremur cum eo divino modo. Iterum : SANCTA SANCTIS, i. e. : *significat* laudem universalem omnium sanctorum quando sancte communicabunt cum illa natura beatifica in mundo futuro, et sanctificabunt eam sine intermissione, et sanctificabit eos sine fine.

Populus confitendo dicit : UNUS PATER SANCTUS, UNUS FILIUS SANCTUS, UNUS SPIRITUS SANCTUS; i. e. : Modo tu, o sacerdos, dixisti quod haec sancta sanctis dari oporteret; nos vero confitemur et dicimus : Non est sanctus nisi unus Deus Pater, et unus Deus Filius eius, et unus Deus Spiritus qui ab eo *procedit*. GLORIA PATRI ET FILIO, i. e. : sursum dirigimus gloriam ad Trinitatem sanctam et sanctificantem, ut sanctificentur linguae nostrae per gloriam quam ad eam sursum dirigimus ante sumptionem mysteriorum.

Rursum : UNUS PATER SANCTUS, quia non est filius alterius (*seu non habet patrem*) sicut patres[1] terreni, neque est Pater alterius, nisi Domini nostri Iesu Christi, et ex eo nominatur paternitas in caelo et in terra. UNUS FILIUS SANCTUS, i. e. : non est filius alterius, sicut ei qui sunt super terram, sunt filii patrum suorum, et patres filiorum suorum. At neque veri filii sunt *cognominandi *absolute*, * p. 88.
neque patres veri. UNUS SPIRITUS SANCTUS, qui a Patre procedit et consubstantialis est Filio. Nomen sanctitatis eius est *proprium*. Eis qui aequales sunt in natura et distincti in proprietatibus : GLORIA ET HONOR IN SECULA! — Iterum : UNUS PATER SANCTUS, i. e. : dum sic clamat populus, manifestat indicatione evidenti quod post oeconomiam (*seu incarnationem*) Trinitas ut est Trinitas permansit, et eadem ipsa glorificatur a superioribus et inferioribus. Iterum : multum convenit ut sanctificemus Trinitatem ante sumptionem mysteriorum, cum Isaias postquam illas sanctificationes audivisset, tunc carbone mundatus sit qui typice admotus est ori eius, eo tamen non communicavit[2]. Si autem antiquitus quamvis non manducasset propheta symbolum, mundatus est tamen symbolo, nunc dum manducatur veritas, quanto magis mundabit manducantes. Domesticis est sacramentum : profanis autem panis est. Vocatur mysterium quia est inaccessibile; et extraneus non manducat ex eo; clauditur porta, scilicet velum, et teguntur mysteria tremenda : in-

[1] Mss. perperam hic habent : «filii». — [2] Cf. p. 88, n. 1.

Digitized by Google

dicat quod absconditur Dominus noster super universum et intravit in gloriam suam [1].

Diaconus : IN RESURRECTIONE REGIS. Deinde : LAUDATE DOMINUM IN SANCTUARIO EIUS. Diaconus dicit : ORAMUS TE, et sacerdos frangit.

## CAPUT DUODEVICESIMUM.

Rursum in theoria pergentes ad delectationem spiritualem pervenimus. Sacerdos postquam dixit populus : UNUS PATER SANCTUS
* p. 89. et reliqua, recondit mysteria in linteis, scilicet *angulis, et quando vult communicare aut communionem aliis dare mysteria detegit. Lintei figura sunt petrae quae imposita est sepulcro Domini nostri, eaque abscondebatur porta sepulcri. Quod autem removet linteos repraesentat quod surrexit Dominus e sepulcro, et apparuit discipulis suis et confirmavit eos. — Iterum : quod recondit mysteria, typus est temporis quod antecedebat incarnationem Verbi quod velatum et absconditum erat hominibus. Quod autem detegit mysteria, imago est temporis post incarnationem eius qui revelatus est et manifestatus hominibus.

Rursum, sacerdos ipse communicat mysteriis, sicut et Dominus noster primus communicavit corpori suo et sanguini suo in cenaculo, et deinde communicavit discipulos suos. Iterum : ut manifestet quod ipse sacerdos indiget virtute, et per gratiam *tantum* dignus habitus est qui ministraret eis mysteriis. Iterum, decet agricolam nutriri *prius* fructibus agri sui, et deinceps alios participes facere; doctorem quoque decet repleri doctrina sua et exinde docere alios. Quod iterum dividit sacerdos mysteria clero et populo, agit sicut egit Dominus noster in cenaculo, qui divisit corpus et sanguinem suum discipulis suis. Calicem primus educit, non quasi sit potior sed quia sanguis primum producitur ex corpore, qui conspicitur etiam cum longe sit corpus (?) [2].— Iterum, dicimus quod haec mysteria corporis et sanguinis quae dividit sacerdos et dat fidelibus, quasi post resurrectionem Christi dividit ea : cum sint impassibilia et immortalia et incorruptibilia; non autem sicut ante resurrectio-

[1] Quae sequuntur solus cod. C. habet; ad ritum Maronitarum pertinent. — [2] Vix intellegi potest haec sententia, qua ratione forte eam C omisit. Vertit Assemani : «non quod antiquior sit, sed quia ex corpore visibili sanguis primus prodit.» (*Cod. lit.*, t. V. p. 393.) Cf. sententiam non multum dissimilem, supra p. 50, l. 7.

Digitized by Google

nem eius. Exeunt mysteria ad populum ope sacerdotis, sicut Filius etiam ad gentes ivit ope Apostolorum. Velum tollitur et in publicum revelantur mysteria, sicut et revelatio *mysterii absconditi *p. 90. Domini nostri per illustres praecones et adnunciationem evangelicam in toto orbe *facta*. Sumuntur mysteria in cibum spiritualem et indissolubilem : significat quod illuminati sunt veri fideles a Filio et digni facti sunt unione spirituali cum eo et scientia eius divina. Iterum : participatio mysteriorum quae hic fit, pignus est quod in mundo futuro sancte et supra omnem scientiam ipsa persona Christi spiritualiter fruemur sine declinatione. Iterum : quod uni corpori et sanguini sancto participamus, figurat quod illuminati sumus revelatione quae in carne facta est, et per eam gustavimus vitam veram et delectationem aeternam. Iterum : participatio mysteriorum *significat* mentem nudam quae consummabitur et merebitur participare contemplationem sanctae Trinitatis ex qua hauriunt sancti cibum ineffabilem.

Rursum : a fractione usque ad sumptionem mysteriorum figurat tempus post oeconomiam[1] et usque ad resurrectionem universalem, quo digni efficimur gratia baptismi et manducatione spirituali corporis et sanguinis.

## CAPUT DECIMUM NONUM.

*Caput quintum liturgiae.* — Dicit diaconus : STEMUS DECENTER POSTQUAM SUMPSIMUS ET DIGNI FACTI SUMUS et cetera; i. e. : Hortatur populum ut gratias agant propter dona ineffabilia mysteriorum vivificorum et propitiabilium quae dedit eis.

Sacerdos orat : CONFITEMUR TIBI, DOMINE DEUS NOSTER, ET MAGIS CONFITEMUR, id est : in hac oratione confitetur Deo *propter mysteria *p. 91. vivifica quae dedit nobis; et petit ab eo iterum ut ad propitiationem et purificationem fiant, non ad condemnationem, et rursum petit ab eo ut conservet nos in iustitia et sanctitate, ut in mundo futuro digni simus portione et sorte et hereditate omnium eorum qui a seculo ei placuerunt. Iterum quod dicitur oratio confessionis et gratiarum actionis : figurat declarationem manifestam quod omnes fideles confitentur et gratias agunt ei qui haec omnia nobis tribuere dignatus est. Iterum perficiunt confessionem ei qui

[1] I. e. Incarnationem.

eos dignos habuit convivio divino. Iterum : confessio altera ei qui in fine temporum nos docuit veram confessionem. Iterum : per confessionem et gratiarum actionem, confessionem communem omnium qui introducti sunt ad cenam nuptialem, ei qui dignatus est mortalibus parare gaudia spiritualia et unionem secum.

Diaconus dicit : CORAM DOMINO CAPITA NOSTRA INCLINEMUS; i. e. : iubet eos inclinare capita sua coram Deo, quia etiam hanc orationem pro eis orat *sacerdos*.

Sacerdos : DEUS QUI MAGNUS ET MIRABILIS ES, QUI INCLINASTI CAELOS; i. e. : sacerdos a Filio petit in ea oratione ut populi misereatur et effundat super eum benedictiones, et servet eos a peccatis et a noxis.

Hoc quoque nosse decet : omnes orationes liturgiae ad Patrem adscendunt; et id manifestum est ex eo quod sacerdos qui sacrificat typum Christi gerit qui fuit mediator Dei et hominum, cum corpus et sanguinem «sua» nominet quasi personam Christi teneat. Idcirco Patrem alloquitur in invocatione Spiritus *sancti* cum dicit : «Miserere mei, Deus Pater, et mitte super nos et super has oblationes propositas Spiritum tuum sanctum». Etiamsi quando sacerdos memorat
*p. 92. *incarnationem Domini, convertit sermonem ad personam Christi et dicit : «Cum ergo commemoremus, Domine, mortem tuam et resurrectionem tuam» et reliqua, in fine tamen huius orationis sicut reliquarum omnium orationum ad Patrem denuo sermonem vertit, cum dicit ad Christum : «Per te et tecum Patri tuo», et statim fideles post sacerdotem ad Patrem dicunt : «Miserere nobis, Deus Pater, omnipotens.» Ergo omnes orationes liturgiae ad Patrem adscendunt, excepta ultima omnium quae adscendit ad Filium[1] eaque sacerdos gratias agit Filio, quia per eum fuit nobis accessus ad Patrem, et ipse est via quae ducit et porta quae introducit nos ad Patrem, secundum verba eius quae non mentiuntur. Si autem inveniatur oratio quaedam in aliqua liturgia quae non adscendat ad Patrem, errore scribarum aut sacerdotum imperitorum et indoctorum scripta est, et decet eam corrigi et dirigi ad Patrem, excepta ultima quae adscendit ad Filium uti diximus; sacerdos enim, ut supra ostendimus, personam Christi gerit et stat medius inter Deum et homines. Oratio vero ultima ad Filium

[1] Omnes codd. hic habent : «Patrem», quam lectionem ex ipsa sententia mendosam esse manifestum est.

Digitized by Google

adscendit quia fuit nobis causa cur ad Patrem accederemus. Porro, aequum est nos ei confiteri et gratias agere per hanc orationem, quia cum essemus longe et reprobati a Patre, per ipsum vocavit nos et appropinquare fecit ad se.

## [CAPUT VIGESIMUM[1].]

*Theoria universae liturgiae et ecclesiae in compendio.*—Rursus dicimus : nec corpus sine altari nec *corpus sine sacerdote perficitur; *p. 93. Emmanuel autem est haec omnia : altare, et corpus seu hostia, et oblatio, et sacerdos, et offerens. Iterum dicimus quod a sumptione mysteriorum usque ad finem figurat mundum futurum ubi altero modo sanctificabimur et sanctificabimus mysterium magnum et mirabile.

Iterum, summatim et breviter dicimus : per templum animam puram significamus; per altare cor mundum figuramus; per sacerdotem mentem quae operatur virtutem; per corpus et sanguinem divitias absconditas et praestantes; per petitionem pacis pacificationem communem; per demissionem in inclinationibus adorationem spiritualem; per elevationem anaphorae scientiam occultorum et arcanorum; per consensum unanimum sacerdotium principale; per illapsum venerabilem bonitatem divinam; per sanctus, sanctus, sanctus seu trisagion theoriam trinitatis; per narrationem rerum gestarum in cenaculo operationem sacerdotalem; per commemorationem mortis imaginem eius vivificam; per illapsum Spiritus Sancti dona divina; per signationem crucis perfectionem cogitationum; per unionem mysticam unionem spiritualem; per commemorationem pro vivis et defunctis petitionem propitiatoriam pro omnibus; per fractionem et signationem immolationem perfectam facultatum rationalium; per signum crucis et invocationes nominum sanctorum consummationem perfectam in Trinitate; per orationem «Pater noster qui es in caelis» fiduciam familiarem; per : «Sancta Sanctis» exaltationes altissimas; per sumptionem mysticam gaudia illa caelestia; per confessionem et gratiarum *actionem hanc confessionem propter omnia et circa *p. 94. omnia. Usque modo summatim totam theoriam liturgiae descripsimus speculative (*allegorice*) secundum petitionem suam, o frater noster;

[1] Hanc divisionem C D non habent. Eam tamen primitivam esse existimamus.

7.

398256

Digitized by Google

in tota expositione, post interpretationem realem, speculativam (*allegoricam*) plerumque adiunximus.

In fine liturgiae dicit diaconus iuxta consuetudinem Orientis : BENEDIC, DOMINE, ITE IN PACE; id est : iubet populum ut abeant in tranquillitate et pace. — Populus dicit : IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI. i. e. : sicut praecepisti nobis, discedimus in nomine Domini fortis. In Occidente haec non dicunt; praeterquam quod dicit diaconus : BENEDIC, DOMINE, tantum.

Sacerdos dicit : BENEDIC OMNIBUS NOBIS, SERVA NOS OMNES, et cetera. Statim dicit populus strophas : CORPUS TUUM QUOD SUMPSIMUS ET SANGUIS TUUS VIVUS; et post strophas, convertitur sacerdos populum versus et format tres cruces dicens : COMMENDAMUS VOS GRATIAE, i. e. : commendo vos Trinitati sanctae quae est Deus et figuratur tribus personis; ut misericordia sua vos custodiat in itineribus vestris, et nos vobiscum.

Debet sacerdos, quando intendit pronunciare eam commendationem et tres cruces formare, ponere dextram super altare, statimque converti ad populum, et tres cruces ea formare. Non autem convenit sacerdotem dicere : «Commendati estis Trinitati», sed : «Commendamus vos», haec enim *formula* recta est et correcta.

Hac meta etiam ibi requiescimus, cum, auxilio et concursu Domini, prolixe pleneque compleverimus petitionem tuam, et rogationem tuam perfecerimus, o frater noster, et omni verbo dignissime, *Mar Ignati, metropolita Urbis sanctae, Ierusalem scilicet : «Visio pacis». Tu quidem, anima pura et mente limpida, orationem offer pro me ipso Dionysio, humili ac debili, qui sedeo Amidae, in urbe Mesopotamiae, ut eripiar a tentationibus et molestiis animae et corporis, et liberer ab omnibus adversitatibus malorum ipsiusque patris malitiae, et perveniam ad quietem iustorum. Amen.

*p. 95.

EXPLICIT EXPOSITIO LITURGIAE.

Digitized by Google

# I

## INDEX NOMINUM

### QUAE OCCURRUNT IN EXPOSITIONE LITURGIAE.


Abraham, 84, l. 38.
Adamus, 51, l. 32, 33, 35; 52, l. 2, 5; 71, l. 3, 33; 74, l. 34.
Aegyptus, 74, l. 36, 37; 78, l. 6.
Aharon, 52, l. 27.
Alexandria, 39, l. 27.
Alexandrini, 38, l. 1; 39, l. 22.
Amida, 33, l. 4; 100, l. 27.
Antiochia, 44, l. 27.
Apollinarius, 57, l. 17, 38.
Arabes, 56, l. 31.
Arius, 56, l. 33; 59, l. 2.
Armeni, 51, l. 6, 31; 54, n. 1; 57, l. 32; 83, l. 14, 24; p. 89, l. 20.

Cethim, 33, l. 26.
Chalcedon, 34, l. 8.
Chalcedonenses, 34, l. 6; 43, l. 14; 44, l. 30; 45, l. 6; 56, l. 20, 28; 57, l. 36; 83, l. 33; 84, l. 3; 89, l. 5, 22.
Cherubim, 79, l. 32.
Cledonius, 56, l. 25.
